D. CASIMIRI CHRISTOPHORI SCHMIDEL SERENISS. MARGGR. BRANDENB. ... QUONDAM A...

Casimir Christoph Schmidel

ITER

PER

HELVETIAM GALLIAM

ET

GERMANIAE PARTEM

AN. 1773 INCHOATVM ET 1774
CONFECTVM

PROOEMIUM.

Cum integros octo, et quod excurrit, menſes abfuerim ab officiis, aequum omnino eſt, ut vitae peractae rationem reddam, et demonſtrem, me neque penitus otioſum fuiſſe, neque voluntatem depoſuiſſe, aut animum ipſum meum excolendi, aut aliqua forte ad artis, quam colo, augmentum, ubi modo potero, conferendi. Ad normam igitur dierum breviter recenſebo, quae vidi notabiliora, et per quae profeci. Is quidem labor mihi profuturus erit, ut fortius haereant ea, quae ſeſe mihi obtulerunt, et aliis forte anſam praebebit, ut ea perficiant, ad quae penitus dilucidanda aut vires aut temporis rationes mihi non ſuffecerunt. Dummodo reperero, me ita laborem perfeciſſe neque penitus ingratum, neque ex omni parte inutilem, alio tempore ſimiles itinerum recenſiones, quae per Helvetiam, Belgium et magnam Germaniae partem perpetravi, ſucceſſive prodire ſinam, praeſertim iter Helveticum, quo, dum Erlanga proficiſcerer, per Sueviam, Scaphuſiam et Tigurum pedem promovi, ex inde per montem Albium Tugium et Lucernam verſus

fus

ſus ad montem Pilatum, et ex hoc per Alpnach, et Pagum ſubſylvanum in Clauſtrum Bruning, et abhinc per Hasliam vallem contra Arolae decurſum, in valle feriſſima, ad ejus origines monteſque glaciales, et dein per Grimſulam in Valeſiam, usque verſus Sedunum, et ab hac per Furcam et Gotthardum ad clauſtra Uriorum penetravi, ex quibus per Altorfium Tigurum redii, ſpoliis tam herbarus quam aliis, quae Naturae ſerutinium ſubminiſtrare ſolet, onuſtus.

Satis contentus, ſi aliqua ſaltem edixero, quae quibusdam placere aut prodeſſe poterunt.

Vigeſimus quartus erat dies Maii menſis Anni 1773, quo iubente Sereniſſimo Principe noſtro iter ingreſſus ſum ad tuendam ſanitatem Sereniſſimae Principis Wurtembergicae electus, Onoldo profectus per paſcua amni Altmonae contermina, quae in ſcrobibus inter alia multa *Cyperum medium germanicum* C. B. a) gerunt, ſera veſpera *Oettingam* attingimus. Pancratice ibi in aula Principis, comitate praecellentis, excepti, ego potiſſimum laetatus ſum colloquio generoſi de *Troeltſch*, Auditoris olim, nunc amici, Conſulis urbis Imperialis Noerdlingenſis.

d. 25. ei. multo mane pergentes ſubſiſtimus verſus meridiem *Donawerda*, celebri cum confinibus Schellenbergo vel clade Gallorum. Ad vias planas, huc ducentes, inter alias vulgatiores plantas *Lychnis ſylv. purpurea* C. B. p. 204. b) et *Caryophyllata aquatica* c), in humidioribus, *Anthyllis lutea* d) nunc et in poſterum ad vias copioſa ſunt. Veſperi *Ulmam* accedimus, templo cathedrali ſuperbientem, in cuius confinibus

olim

a) *Scirpus maritimus* Linn.

b) *Lychnis dioica* Linn. β. perp. Planta, quae toto habitu et calice cum Cucubalo genere concordat, ob petala quinque et totidem auriculis ex methodi artificialis lege ad Lychnides a Linn. aeo relata eſt, in quo genere peregrina videtur; cum in aliis generibus auriculae ab Eadem vi- Ependantur, ut Hallerus Hiſt. p. 396. ad- commendate monet. Cum Cucubalo Idem prius iniunxerat in Hort. Cliff. et forte nomen dioica non optimum videri poſſet, cum hermaphrodita interdum ſit, ut ipſe fatetur Spec. pl.

c) *Geum rivale* Linn.

d) *Anthyllis Vulneraria* Linn.

olim legeram *Gentianam bavaricam e*), et *Centauream* ſ. *Jaceam calycibus non ſplendentibus* C. B. a qua Siberica Gmelini aliquatenus differt *f*).

d. 26. ei mane egreſſi *Ehingam* verſus tendentes agros humiliores et prata peragramus, Danubium ad ſiniſtram habentes, et plures vidimus ceſpitis bituminoſi dirutesque ſodinas, manifeſto indicio, ibi paludem olim fuiſſe. In editioribus adiacentibus olim legi margam calcaream induratam, in qua copioſe cochleae minores jacent, partim teſta adhuc munitae, partim ſub nucleorum forma adparentes. Senſim ipſi in altius evehimur, et quaſi baſin montium Helvetiam conſtituentium attingimus. Montes Sueviae, Memmingae et Auguſtae Vindelicorum, elatiores ad ſiniſtra ſunt, et ipſi in altius emergimus. E longinquo conſpicitur mons *Zimberſpitz* Helvetiae *g*). Propius ad Ehingam in graminoſis ſylvarum humiduſcularum fuit *Bugula ſtolonifera fl. roſeo h*). Veſperi *Meskircham* intramus. Circa eam in paſcuis humidioribus fuit *Carduus radicibus tuberoſis i*), et in graminoſis ſylvarum montoſarum irriguis *Primula fol. farinoſis fl. purpureo k*). Vallis eſt, quae toto ſitu et habitu monſtrat, ibi primis temporibus lacum fuiſſe.

d. 27. multo mane profectis verſus *Stockach* ad vias iterum fuit *Bugula fl. roſeo ſtolonifera*, quae ſicut alii ejusdem coloris a conſimili ſpecie caerulea non differt, et in graminoſis ſylvarum *Orchis lumte cucullo galea et alis cinereis* C. B. *l*). Veſperi accedimus *Scaphuſium*.

Ad d. 28. Maii extra urbem progreſſi vidimus primum e longinquo ex Domo Dni. *de Stockar* e regione ſita cataractam Rheni celeberrimam Navem

e) Vel potius *Gentianam vernam* Linn., quam h. Auctor, bavaricae nomine, additis tamen genuinis aliorum auctorum ſynonymis, deſcriptam pictamque ſiſtit in Op. Gm. Vol. II. Faſc. II. p. 41. tab. XXII. f. 83. *Adnotatio Editoris*.

f) *Centaureae paniculatae* Linn. accedens, foliis cinereis &c.

g) Vid. Gruner II. p. xxx.

h) Ad *Ajugam reptantem* Linn. pertinent.

i) *Carduus tuberoſus* Linn. β.

k) *Primula farinoſa* L.

l) *Orchis militaris* Linn. var. α. Rivini ſion hexap. t. 15. bona eſt.

Digitized by Google

Navem poſtea conſcendimus, alteri ſociatam pro majore ſecuritate, tranſverſoque itinere cataractam quam proxime accedimus, et adeo cominus caſum aquae horridum adſpectu contemplamur, ut rore perfunderemur, et in nebula ex diſperſa in auras aqua adſcendentibus iridis colores dignoſcimus. Aquae ipſius, quam olim videram molae adjacenti imminentem, et ad dextram ejus partim delabentem, curſum mutatum nunc reperi, cum aliquot rupes in medio ex illis exſiſtentes, impetu aquarum partim abſumtas, partim ita ad baſin excavatae ſint, ut ruinam minentur, quae ipſis non deerit futuris temporibus. Redeuntes in urbem contemplamur pretioſam collectionem picturarum, quas Ammannus, Mercator celebris et frater amici mei poſſidet, *Elzingeri*, *Ermels* et *Wouwermanni*, campos exprimentes, et praeſertim magnam iconiſmum pictoris celeberrimi *van Loo*, Salvatoris noſtri divini deſcenſum ex cruce mira arte exprimentem, pluresque alias miramur, elegantem quoque papilionum, praeſertim Surinamenſium, aliorumque inſectorum collectionem. Fratris Ammanni, Profeſſoris celeberrimi, amici a pluribus annis aeſtimatiſſimi hortum intro, ubi cum voluptate praeter *Ciſtos* varios, *narbonenſem ladaniferum*, *ſalvifolium fl. albo* et *Ciſtum piloſum* Linn. m) *flore roſeo*, *Podophyllum*, *Meadiam*, *Chionanthum*, *Phlogis* aliquot *ſpecies*, *Clematidem Alpini*, *Heliotropium peruvianum*, *Robiniam roſeam*, *Liriodendron*, *Berberidem fl. pleno*, *Meſembryanthema elegantia* et plures alias notatu dignas plantas vidi. Aedes dein ejus adeo, in quibus Profeſſor humaniſſime monſtravit Theſauros rerum naturalium n), inter quos Conchylia, et praeſertim *Oſtrea muricata*, *Corallia maris mediterranei* varia, pleniſſimam petrificatorum ſeriem, et praecipua Tabulas duas Schiſti Wurtenbergicas *Stellis arboreſcentibus* pedunculatis refertas, Alabaſtris egregia expreſſis, *Echinos mammillares* eximiae magnitudinis, aliosque ejus generis optime ſervatos, *Pectines* elegantes, *Cornua*

m) Piloſus primum vocatur in Sp. pl., in *Murray* Syſt. Veget. vocatur villoſus, mutatione non optima, cum idem potius quam villo excellat, ſed piloſus ſaltem ſit; qui vero piloſus vocatur, ab utriusque villo excellit.

n) Conf. *Andreae* iter in Helvetiam p. 40. ſq.

nus Ammonis, *Coralia* foſſilia Baſileenſia et Maſſilienſia, *Strombos* maximos Gallicos Cottignaco effoſſos, *Dendritas* Baſileenſes nitidos et *Marmora* plura vidi inter plurima alia. Exivimus poſtmodum in pontem ſublicium, trans Rhenum aditum praebentem, ejus ſtructuram et infra perquam artificioſam miramur, cum in medio ſuper magnam molem lapideam tota machina cohaereat.

Ad d. 29 ej. Scaphuſiam relinquimus et Zurzachium verſus tendimus, per vias montoſas ad dextram Rheni ripam adſcendentes, inter vineas et amoenos montes. Sequuntur poſt relictam Rheni cataractam prata fertiliſſima, in quibus mira quantitas *Tragopogonis* α) florentis occurrit quem incolae in pecorum pabulum evellant ſeparatim. Pari modo *Salvia pratenſis* ſ. Sclarea maxime frequens fuit. Antequam rurſus deſcendimus, ad aggeres humidos et opacos *Geranium* occurrit *ſylvatico* Linnaei penitus accedens, ſed *floribus majoribus totis laete purpureis*, quod tamen eſt varietas ſaltem Geranii Gratia Dei β), ſaltem colore purpureo floris differens. Viae ſtratae ſunt ſaxis variae magnitudinis et variorum colorum, abſque dubio ex volutatione in aquis in rotundam compreſſamque plerumque formam redacta, partim huc aliunde forte translata, partim, ut videtur, ſub ipſa humo adjacente ſecundum ſtrata ibidem locata, quae mox horizontem ſequuntur ſitu, mox magis minusve oblique deflectunt, mox ab utroque latere in pyramides coeunt, interdum terrae commixta abſque ordine locantur, interdum ſtratis argillae verſicoloribus undoſo ductu magis minusve copioſe impactis. Non raro majora minoribus per ſtrata incubuerunt, a terrae ſuperficie computo facto. Haec ita durant, donec deſcendendo Rheni ripas rurſus attingimus, quem nave trajicimus, et rurſus ex altero latere adſcendentes *Zurzachium* intramus, oppidum nundinis celebre, quae tunc ipſae frequentabantur. Prandio ſumto eximus, et ſenſim ad altiora, utrimque argillam aut rubeſcentem aut gryſeam ad viam monſtrantia, quin et prope viam aliquando ſchiſto micaceo interpolam conſtantia, evehimur. Ad vias occurrit *Euphorbia Lathyris*, et *eadem lunato flore*, ſ. *ſyl-*

vatica

α) *pratenſis* L.

β) *pratenſis* L.

Digitized by Google

vaticæ ejusd. praecipue ubi ſylvoſa fuerunt. Ad ſiccas vias ubique fuit *Trifolium lupulinum minimum q)*, procumbens. Frequens etiam, ubi arbuſta ſunt opaca, fuit *Helleboraſter r)*. *Arolam* demum trajecimus, et oppidulum *Bruck*, ubi Arola aquas ſuas Rheno immittit, attingimus verſus noctem, ibique pernoctamus, bono hoſpitio gaviſi.

Poſtero die multo mane Brucka egreſſis ad dextram a longinquo obviae fuere arces vetuſtae *Habsburgum* et *Brunek*, olim celeberrimae et domui Auſtriacae, nunc Helveticae ditioni adſcriptae. Contra Arolae curſum adſcendimus per montoſas ſylvas, in quibus *Euphorbia ſylvatica* iterum copioſa fuit. Praeterimus abſque mora, quam optaſſem quidem, balneum celebre *Schinznach*, cui domus ſatis ampla cum ambulacris non inamoenis, adſtructa eſt. Via ſemper ſaxis variorum colorum ſtrata nos ducit per arva, in quibus prius dictae pretioſes plantae continuant, donec pervenimus pranſum in diverſorium amoeniſſimis pratis et hortulo circumdatum, ad pagum *Kilken* vocatum ab incolis, ut audivi, pertinens, ibi habitaculum ſ. domum amplam, ex meris lignis ſtructum ejusque comtam ſimplicitatem periuſtramus. Miratus ſum hactenus, quantum pretium ruſtici harum terrarum ponant in barba ex mento promiſſa, ut idem et par barbae et vitae diſcrimen ponere ſoleant. Pergentes in ampla et plana valle usque ad oppidum *Aarburgum*, poſt quod montes ulteriores Solothurienſes diu e longinquo et ad dextram nobis ob oculos fuerunt. Intacta fere regio iſta oculis ſcrutatorum, absque dubio varia ex utroque regno oblatura, ſi perquireretur, ſiquidem mihi oblata ſunt tranſeunti aliquot baſes ſtellarum ramoſarum, ex Encrinorum familia, parum nota et aeque rara s). In via mox *Oſtii* nigri fragilis, mox arenae flaveſcentis tenerrimae, ſtrata nobis occurrerunt in collibus, quos emetimur. Pernoctamus vili hoſpitio in *Mittenthal*.

D. 31

q) *Trifolium filiforme* L.
r) *Helleborus foetidus* L.
s) Conferatur pictura, quae nunc edita eſt in ſcripto germanico *Vorſtellung einiger merkwürdigen Verſteinerungen*, tab. VI.

D. 31. *Maii* ſummo mane et parum refecti iter ingredimur per agros et arva amoena, quae *Trollium Europaeum* ſaepius alebant, et *Tragopogonem* floribus magnis croceis fere per prata ſuperbientem, quem Jacquinus pro diverſo habet *t*). Idem occurrit verſus Eichſtadium, Haeſelberg et Kirchbergam Franconiae, ſemper in ſolo pingui. Quod commoditati vitae deceſſerat, abunde compenſatum fuit ex contemplatione regionis, viſum plurimum recreantis, in qua ſitus eſt pagus conſpicuus *Kirchberg*, in quo opipare excepti prandemus. Hunc rivus tranſit, ad quem copioſum fuit *Geranium phaeum*, et *Borrago*, variante albo flore, vix ſpontanea ut videtur, eo floris colore praedita ob ventos frigidos, ex montibus ad occidentem boreamque ſitis Solothurenſium profectos, quibus regio patere videtur. Trajecimus alveum peramplum, ſaxis tectum, amnis *Emmae* ponte longo ſublicio *u*), ex quo ad ſiniſtram patet proſpectus in vallem *Emmiam*, olim ſteriliorem nunc cultiſſimam. Ad dextram e longinquo nos comitantur mons quem *Blauberg* incolae mihi vocarunt, et reliqui Solothurenſes. Ab iis tandem recedimus, viam facientes per paſcua fertilia, agros ſylvasque tam abiegnas, quam quernas et faginas, donec veſperi ingruente *Bernam* intramus.

Partim eo jam die, quam *d.* 1. *Jun.* memorabilis urbis, tam aedificiorum fornicatorum et ex lapide arenario tenero, humiditatem tamen non bene ferente, ſuperbe ſtructorum, quam munditie platearum admodum conſpicuae peluſtramus, Curiam Senatoriam, Armamentaria, Noſodochium pluribus modis commendabile et ambulacra publica viſitamus. Telli liberatoris patriae ſuae ſtatua ex adverſo e filii capite pomum baliſta dejicientis, et arma Burgundiorum vetuſta, cum ſimilibus aliis nobis monſtrata ſunt. Plurimum delectatus ſum ex colloquio *Perilluſtr. Halleri*, ex urinae etſi difficultate, a podagrica materia retenta orta male habentis, et ſingulare ſtudium praedicare poſſum, quod *Dn. de Faſsnacht*, Conſilii ſti-

t) *Tragopogon major* Fl. auſtr. t. 29.

u) Colligitur in iſto alveo et vix borum locorum varios lapides volutatos, variorum colorum, marmoreae baſaltinae forte et jaſpideae indolis, et nucum fruſtum, Lavae, ut vocant, plerumque dubius ſimile

Goo

ſupremi membrum et Judex (Baillif) de Morges, et ejus gener Du *Molier* in nos contulerunt, extra urbem etiam exſpatiati ſumus ad contemplandos eminus Montes glaciales, quos ante hos viginti annos pedes emetitus fueram.

Ad d. 2. Jun. Bernam egreſſi prata montoſa attingimus, in quibus *Orchis galea et alis cinereis* ſat frequens fuit, quae poſtmodum etiam pluries occurrit, lineis barbae perquam conſpicuis. In petris arenoſis montium, quos emetimur, copioſa fuit eleganti rubore pallido florum ornata *Saponaria ocimoides* v), amplis caeſpitibus petras arenoſas veſtiens. *Moratum* poſtea attingimus, quod praeter oſſa Burgundiorum a manu helvetica caeſorum, ſacello ad viam ſtructo conditorum, inſcriptionibus celebrata parum notabilis oſtendit. Ripas Lacus Moratenſis diu ſecuti ſumus, et dein *Aventicum* pervenimus, extra cujus moenia ad baſin montis ingreſſi ſumus caſam, pavimento Muſivi operis ſuperſtructam. Totum pavimentum cubis parvis 10 ſpatia quadrata ordinatis compoſitum eſt, quae varias figuras modo florum modo formarum humanarum exprimunt, quarum aliqua diruta, praeſertim cum petente Comite *de Caylus* aliqua loco movenda fuerant, maxima vero pars bene ſervata erat. Adorat caput juvenis cicinnatum et radiis cinctum, ſolis aut Apollinis ut videbatur. Ante portam jacuit columna ex marmore ſtraminei coloris, et portio ſuperliminaris cujusdam, ornamentis circinatis notata. Continuamus iter *Paterniacum* usque, ubi pernoctamus, coenantes in curia urbis, antiquitatis faciem praeſerente.

D. 3. Jun. Paterniacum relinquimus et ad altiora ſenſim evehimur, ſylvas et paſcua illis interjecta ad latus utrumque habentes, in quibus paſſim occurrit *Orchis* ſupra nominata, eleganter lineata, et *Veronica montana*

B 2

v) Eſt Saponaria caulibus decumbentibus &c. Hall. Hiſt. n 909. quae etiam circa *Muram* poſtea occurrit, ſemper ſuper petras arenoſas et poſtes, circa Ouchy in muro terra tecto.

tans Riv. *w*) quae ob magnitudinem omnium partium imponere potuiſſet, ſicut *Leyſero* in *Flora Halenſi* impoſuit, ut eam pro *latifolia* L. habere potuiſſem, niſi eam antea ſaepius in alpibus decerpſiſſem. Ad aggeres etiam fuit *Veronica ſpicata minor* *x*), olim inter Scaphuſiam et Tigurum occurrens. Adfuit etiam *Lamium luteum* *y*), foliis tamen anguſtis ita ludens, ut pro diverſo habere potuerim. Quin autem plures decerpſerim herbas, ibi forte occurrentes, continua pluvia impedivit, quae totum diem occupavit, adeo ut media inter fulgura *Lauſannam* veſperi intraremus, etſi nix toto die ceciderit et remanſerit in Alpibus Valeſiacis, omnibus conſpectis.

Lauſannae commoratus, partim ob pluvioſum tempus, partim ob negotia, non niſi ad d. 8 Jun. primum extra moenia exſpatiari mihi licuit. Eo autem die verſus lacum iter direxi, et ibi vidi *Salicem longifoliam fol. ſericeis* *z*) feminam frequenter adhuc florentem vidi, cujus pedunculi florales binis, interdum ternis foliolis donantur. Ad ſepes opaciores undique fuit *Arum off.* et *Polygonatum polyanthes* *a*), *Tithymalus lunata flore* *b*) et *Helleboraſter*.

Ad d. 9. ei, deſcendens occidentem verſus ad confinia lacus, ad aggeres reperi *Geranium pedunculis florum longiſſimis* *c*), a noſtro non diverſum, ad lacum vero propius pergens in graminoſis ad vias *aliud* floribus magnitudinem *mollis* adſecutum, in foliis vero et habitu diſcrimine a *rotundifolio* non recedens, num ne igitur locus flores auxerit, probabile videtur. Inter olera et ad ſepes etiam fuit *Geranium columbinum tenuiter laciniatum* *d*). Porro *Menthaſtrum rotundifolium* *e*), quod ſerius Auguſto menſe

w) *Veronica Teucrium* L.

x) ad *Veronicam ſpicatam* Linn. adhuc referenda

y) *Galeopſis Galeobdolon* L.

z) ad *Salicem albam* L. pertinens

a) *Convallaria multiflora* L.

b) ad *Euphorbiam ſylvaticam* referenda.

c) *Geranium columbinum* L.

d) *Geranium puſillum* L.

e) *Mentha rotundifolia* L.

menſe demum floruit, *Helleboraſter* ubique, in apricis *Calcitrapa f)*, poſtea etiam florens, *Rubeola g)* a noſtra non diverſa, quaedam Gramina, *Epilobium h)* a *latifolio* noſtro parum differens, *Reſeda lutea*, *Scrophularia aquatica*, et inter glareas lacus *Sinapis nigrum*. In Lacu fluitabat *Potamogeton*, a *perfoliato* aliquantum diverſum foliis acutioribus, niſi id ab aetate juniore adhuc profectum fuerit: ad ripas Lacus porro fuit *Geranium coriandri folio i) longius radicatum* et *tenuius laciniatum*, quod ſiccitati loci tribuerim. Rediens per pagum *Ouchy*, ad muros decerpſi *Rutam murariam k)* off. *Sedum teretifolium album* et *luteum acre*, et *Saponariam ocimoidem* Hall ſupra notata. Habitarunt in iiſdem muris *Buccinum*, 10 *ſpirarum et 7 ſpirarum* minima, ut et *Cochlea arbuſtorum parva* et *Lampas variegata* compreſſa. In pago ipſo et adjacentibus fuit *Cardiaca offic.* et ad ſepes iterum *Arum vulg.* *Dulcamara* ad foſſas, foliis omnibus molliter hirſutis, in ſepibus *Bryonia offic.*

Ad d. 10 ei. Orientem verſus ad Lacum deſcendere coepi, ubi ad aggerem gramiuoſum, cum ubique horti clauſi eſſent et prohibiti, *Orchis* fuit *Hall. Nov.* n. 1264. ſ. *anthropophora* Col. *l)* flore pallide luteo, et margine tam foliolorum cuculli exteriorum quam barbae lineis intenſe purpurea praeſtolato, ut et *Orchis fuciflora m)*, utraque tamen parciori numero. Viterius deſcendenti occurrit pratum arboribus diſtinctum, montoſum ad ſiniſtram, infra quod rivus ad Lacum pergit, in quo fuit *Lotus tetragonolobus luteus n)* et *Tamus Borena*, et *Sideritis hirſuta flore luteo* Riv. *o)* et *Ophrys bifolia major p)* *Senecio Jacobaea foliis admodum longinquis.* Proximus ad Lacum ad aggeres fuit *Eryngium vulg. q)* et *Lithoſpermum fl.*

 albo

f) Centaurea Calcitrapa L.
g) Aſperula cynanchica L.
h) Epilobium anguſtifolium L.
i) Geranium tirotum L.
k) Aſplenium Ruta muraria L.
l) Ophrys anthropophora L.
m) Ophrys inſectifera ... L.
n) Lotus ſiliquoſus L.
o) Stachys recta L.
p) Ophrys ovata L.
q) Eryngium campeſtre L.

albo r) Recedenti per vias ſepibus opacis clauſas occurrerunt de novo *Helleboraſter* et *Tithymalus lunato flore s)*, cujus caules et folia, ſi non florent, molliter hirſutula ſunt. *Vinca minor* adhuc aliquoties florent, et florem una ſtirps *obſcure purpureum f. ſanguineum* monſtravit. Cochlea etiam in ſepibus ſunt et frutetis ſuccinei coloris, cujus aliquot varietates non ſtriatas, ſtriis tribus alias, alias quatuor aut quinque, ore albo, et fuſco, alias totidem ſtriis per ſpatia interrupta fuſcis notatas collegi.

Ad d. 16. et ad ſeptentrionem urbis infra Caſtellum mediocres montes ſunt, in cacumine arboribus peſſim veſtiti, in declivibus petras inferius calcarias, paullo ſupra paſſim ex fragmentis aliorum ferruminatas, vulgo Breccia dictis intermixtis, praecipue in valleculâ de qua proxime ſermo eſt, et prata intermixta agris, in crepidinibus vero rivos gerentes, per quos nunc et in poſterum vagatus ſum. Intrans hodie valleculam ad ſiniſtram Caſtelli, ad muros collegi Lichenes gelatinoſos aliquot, ad ſepes partim Oxyacantha, Liguſtro, Salicibus, Sambuco compoſitos, Cochleae elegantes ſeſe obtulerunt, ſtraminei coloris aut albidi, modo ſtria unica, modo duplici, quod rarius, modo quatuor, quod paullo frequentius, modo quinque, quod frequentiſſimum fuit, notatas, et inter eas aut ſecundum diſtantiam inter ſe, aut latitudine relativa aliqua quoque interceſſit varietas potius, quam differentia. Occurrerunt etiam *Cochleae Tympanotona* albae teſte, dum animal flaveſcens virgulis nigris brevibus interſtinctum eſt, quae ad teſtam non penetrant, ſed periuoent ſaltem in vivo animali. Aliquot prioris generis inveni, cujus ſtriae omnes *intenſe roſeae* fuerunt, quae alias fuſcae aut nigrae ſunt, etſi omnibus extremus apex vorticinum roſeus eſſe ſolet. In rupibus fuit *Gramen paniculis variegatis*, a Scheuchzero alpinum nominatum *t)*, hic vero minus coloratum. Ad rivum occurrit *Senecio Jacobaea latifolia* *), altius ad eundem inter fruteta fuit *Rapunculus corniculatus albus u)*, et ad decli-via

r) Lithoſpermum arvenſe L.
s) Euphorbia ſylvatica L.
t) Poa alpina L. *
*) Sata mihi ad plures annos ſimilitem reſtitit, quam etiam in Gallia legeram, adeoque diſtingui forte mereretur.
u) Phyteuma ſpicatum L.

via, rivo proxima *Graminis variis* iam florentia, *Drymopogon v)* quoque copioſe, ſed nondum florens; et in ſylvula adjacente *Carex pedata L.*

Ad d. 22. ei. Egreſſus per portam orientalem ad muros paſſim legi *Sedum foliis carnoſis* conicis, flore dilute roſeo aut albo, ſtaminibus rubris *w)* Paullo altius Lapicidina eſt, peculiari modo inſtructa. Cum per nidos, ut referunt operae, arenarius lapis occurrat, illum nidum quadrata apertura adoriuntur, et tot quot poſſunt, in profundum, lapides ſtruendis aedificiis aptos eruunt ex quadrato ſpatio amplo, finem ad baſin attingentes deſinunt, et parietes prius relictos etiam demunt, quod per vectes, Collum gruis vocatos, et rota motos, efficiunt, poſtea locum relinquunt, et terra replent, poſtea colenda. Ad muros ibi fuere *Cochleae pomatiae*, inſignis magnitudinis, ſtriis & faſciis caſtaneí coloris diverſae, et alia *Cochlearum ſpecies ex fuſco variegata*, mira quantitate, cava murorum inhabitans. Porro in rupibus fuit *Sedum*, ut videbatur, ab acri minimo diverſum ſitu ramorum et foliorum. In altioribus pratorum ſepibus *Ciſtus helianthemum* foliis latis, in agris *Campanula ſpeculum erectum x)*, in pratis varia *Gramina*, et ad vias *Bromus inanis y)* fuerunt.

Ad d. 25. ei iterum viſitavi regionem ad ſeptentrionem ſitam; adſcendi ad caſtelli dextram in valleculam, ubi ad ſepes fuit *Calamintha fl. minore z)*, *Aſarum* &c. occurrunt agri montoſi, in quibus aliquoties fuit *Lathyrus flore rubro C. B. a)* florens, quem poſtea in agris proximae ad lacum ad

v) *Spiraea Aruncus* L.

w) *S. daſyphyllum* Linn. Folia fere perlucent ovatae ſed pulvinatae formae, caules quidem infirmi non videntur, ſed ſaltem ex foliorum pondere huc illuc vertuntur, leviter hirſutuli eſſe ſolent, folia vero glaberrima.

x) *Campanula hybrida* L.

y) *Bromus agreſtis* Allion.

z) *Meliſſa Calamintha* L.

a) *Lathyrus Cicera* L. Hall. Hiſt. p. 190 n. 439. qui pedunculis brevibus ab Ejusd. n. 438. praecipue differt, etſi uterque pedunculos in media longitudine duobus ariſtis ſ. ſpeculis moll bus inſtructos poſſideat. Eam et *ſetifolius* Linn. ſingulos habet interdum, ſed in Germania non ſemper, quare ejusmodi ariſtae non bene a Lin.

ad ſiniſtram copioſiorem legi. Hos pergendo ad declivitatem montis occurrunt prata fertilia, in quibus copioſa fuit *Orchis fucifera* et *Orchis anthropophora* Colum. neque ut *Monorchis b*), rarius *Pſeudorchis* Mich. *c*), et *Orchis muſcam referens d*), ut et elegantiſſima iſta ad *fuciflorum accedens*, quam in Faſc. II. Geſneriano deſcripſi *e*), vera et diverſa ſpecies. Eſt ibi quoque *Orchis calcaribus longis purpurea f*), et *Helleborine fl. majore purpurea g*), quae copioſior ex adverſo in altera valleculae declivitate occurrit. Ad margines aliquoties fuit *Coronilla montana* Riv. *h*), et *Hieracium pilis aſperis i*), ad truncos putridos *Orobanche floralibus latiuſculis*

a Linnaeo in charactere adſumtae videntur. Similes articulos gerit pedunculus *Lathyri* Hall. n. 440. *ſ. anguſti* Linn. ſed foliolum octo lineas cum Hallero reperire nequivi in exemplaribus provinciae Gallicae. Linnaeus ſub *Lathyro* ſuo *ſetifolio* Sp. p. 1031. n. 7. comprehendit etiam Lathyrum fol. anguſtis ſl. ſingularibus coccineis Segu. Veron. II. p. 82. Exemplaria vero a diſcipulo ejus, Morenio meo, miſſa penitus accedunt ſtatura, latitudine foliorum, lanceolata longe forma praedictorum, cum brevitate eorum, item ſtipulae non lineeribus, ſed pariter fere longe lanceatis, deorſum hamatis, margine hirſutulis utrinque, quin et ſtatura ipſa coincidunt cum *Lathyro angulato* Linn. ibid. n. 8. Icon Rivini *Lathyri Montis Baldi* Tetrap. T. 47. cum Linnaei ſetifolio magis concordet, etiam ſtatum, quae ſemper elatior eſt et imbecillior, ſola tamen plantae ſpontaneae, quam etiam in Saxonia et alibi legi adhuc anguſtiora ſunt, etſi longitudinem, angulato majorem, bene ſatis exprimant, et adſequantur. Bona icon quamvis nullibi citata *Lathyrus minor* Rivini Tetrap. T. 47. fig. ſiniſteriore, etiamſi ſolia ob culturam paulo latiora videantur, tamen quae ſemen in margine adſpectum inferiore parte reſectum, ideoque angulatum vocari poteſt, non male ad *angulatum* Linnaei pertinere poſſet, cum et ſtipulae longe lanceatae deorſum hamatae, pedunculus floris brevis et cuſpide non magna celebratur. Cirri, ut Linnaeo loqui placet, diphylli quidem, ſuperiores ſilo longe caeteris terminantur. Inferiora autem quatuor foliolorum paria abſque filis ejusmodi ſunt, quod et in ſpeciminibus italicis quibusdam obtinet.

b) *Ophrys Monorchis* L.

c) *Satyrium albidum* L.

d) *Ophrys inſectifera* α *myodes* L.

e) Tab. XVIII. f. 67.

f) *Orchis conopſea* L.

g) *Serapias rubra* L.

h) *Coronilla coronata* L.

i) *Leontodon hiſpidum* L.

tibus k). In dumetis *Roſa fl. albo pleniſſimo* l), et ad eorum graminoſa *Gentiana cruciata*, et *Gentiana Centaureum luteum* ll) aderant.

Ad d. 28. ej. Ad alterum ejusdem valleculae latus exſpatiatus, montem conſcendi ſatis praeruptum, in quo *Neriuli* elegantes terram incoluerunt, et altius ad ſylvulam *Hieracium aliquod* foliis glabris profunde ſectis, Hyoſeridem foetidam plurimum imitans, calicibus modo glabris, modo leniter piloſis, etſi differre non videbatur ab *Leontodonte Danubiali* Jacquini m), et *Hieracium monoclonon* Dillen. Eph. N. C. deſcriptum n). Ibi etiam in graminoſis iterum fuit *Orchis* ſupra notata *Geſneriana*, quam etiam poſtea alio in loco circa urbem inveni, et *Orchis fuciflora* o), in vepretis fuit *Digitalis lutea fl. majore* p), et in apricis viis *Piloſella fol. longiſſime lanceolatis* q), ſed *ſtolonibus non hic repens*, ſecus ac Linnaeus et Halleri Hiſt. n 52. habent. In prato altiore fuit *Anthericum* r), et *Phalangium ramoſum* s), *Monorchis* t) in apricis graminoſis, gramina varia u) in pratenſibus, *Emerus* v) in frutetis, ſed ſiliquis onuſta, et *Helleborine fl. majore roſeo* w), ut ſupra dixi. Reducti ad Caſtelli muros et infra illud occurrerunt varii *Lichenes* ex claſſe *gelatinoſorum*, v. g. Dill. Muſc. t. 19. f. 27.?

Ad d. 2. Julii inquiſivi in vires fontis ſoteri, qui in introitu ejusdem valleculae ſitus eſt, *la Fontaine* vocati. Domuncula ſuperinſtructa eſt,

k) *Orobanche major* L.

l) *Roſa alba* L. var. β.

ll) *Chlora perfoliata* L.

m) *Fortis* Hall. Hiſt. n. 26. *Leontodon haſtile* L.

n) *Leontodon hiſpidum* Linn. ſi character pilorum in apice bi- vel trifidorum valet, folia vero mox valde inciſa mox levius fuerunt. *Fortis* Hall. Hiſt. n. 25.

o) *Ophrys inſectifera* var. ϑ. L.

p) *Digitalis lutea* L.

q) *Hieracium Auricula* L.

r) *Anthericum calyculatum* L.

s) *Anthericum ramoſum* L.

t) *Ophrys Monorchis* L.

u) *Bromus agreſtis* Allion. fl. pedem. &c.

v) *Coronilla Emerus* L.

w) *Serapias rubra* L.

eſt, cum ambulacro parvo, et fons parco latice ex petra arenoſa prodit, in alveo aliquam Ochram crocei coloris deponens. Guſtata aqua ſubadſtringens mihi et nauſeoſi aliquid habens viſa fuit. Limpida quidem ſcaturiens, per noctem in vaſe clauſo repoſita, pelliculas et nubes flavas ad fundum depoſuit. Infudi ♂. ☿n per deliquium, quod abſque omni motu inteſtino mixtum, colorem dilute lacteum aquae conciliavit, paullo poſt ſuſpenſum album formavit coloris albi intenſioris. Pulvis Gallarum poſt ſemihoram flavo colore eandem tinxit. Syrupus violarum vix parum coloris vireſcentis produxit. Solutio ☿ii vivi in ▽ti inſtillata ſtrepitum facit cum bullis aliquibus, et ſedimentum album poſt aliquam moram depoſuit pauca quantitate. Lapis infernalis, aqua communi ſolutus, nigredinem ▽ae ſoteriae cum pauco virore dedit, et ſedimentum nigrum depoſuit.

Poſt haec vario tempore exſpatiatus in agros montoſos, ibi repuri *Picridem aſperam* ſ. *Cichorium luteum foliis perquam amplis* x), *Campanulam rapunculi radice* y), *Speculum caulibus procumbentibus* z), *Cerealiam montanam* Riv. et alia.

Ad d. 12 Jul. inſtruxi iter in montem Juram, ut memorabiliora Lacus ibi ſita, et alia contemplarer, Lauſanna multo mane profectus. Ad vias diu ſatis fuit inter vulgatiores plurimas, *Blattaria lutea* a), et cum in medio regionis iſtius montoſae iter fecerem, ad dextram colles altiores, paſſim villis amoenis ſylvulis, inter quas aliquae laricinae, et vineis ornati ſiti fuerunt, ad ſiniſtram vero proſpectus in planiorem partem agri Vaudenſis undique urbeculis, pagis et villis diſtinctam, ut et in lacum Lemanum patuit, quem ex oppoſito littore Sabaudia montoſa limitat, et viſum miro modo recreat, ad altiora ſenſim emergens verſus . . . *Ciſtus Helianthemum*, ſed foliis magis rotundis et hirſutis, aeque ut apud nos in montoſis aſperioribus, varians, nos comitabatur. Ad ipſos montis Jurae

x) *Picris hieracioides* L.
y) *Campanula rapunculoides* L.
z) *Campanula Speculum* L.
a) *Verbaſcum Blattaria* L.

Jurae tractus accedens, qui toti ſylvoſi ſunt, *Pyrola piſtillo recto b*), et *Carex pilata* L. in opacioribus ſeſe obtulit, ſenſim in via ſtrata altius emergenti occurrit *Saxifraga Geum hirſutum c*), quae olim et Pilatum montem conſcendenti cum Rubia ſ. *Galio quadrifolio rotundo d*) prima quoque fuit. Pergenti ſemper inter frutetа et ſylvas, *Geranium* quod *Geranio Gratia Dei e*) penitus ſimile eſt, ſaltem paullo humilius manet, et flores ex caeruleo purpuraſcunt, copioſe obvium fuit, inter iſtud paſſim occurrit *aliud Geranium*, floribus minoribus totis purpureis et modo naſcendi magis corymboſo a priori maxime, non vero adeo notabiliter in foliis diverſum, quod igitur *Geranio ſylvatico* Linnaei, ab Hallero etiam nova editione Hiſtoriae ſuae adducto, penitus accedit, ab illo vero ſupra iam reperto florum magnitudine et corymboſo hoc habitu aliquantum receſſit. Viterius pergenti paſcua occurrunt frutetoſa paſſim, in quibus obvia erat *Gentiana lutea*, jam florens et flores parans. In humidiore eorundem plaga fuit *Thaliſtrum*, quod neque cum *flavo* Linnaei foliis etſi floribus, neque cum *minore*, neque cum *aquilegifolio* quod ad flores concordat, ſed ſtatura et floribus *flavum*, foliis vero magis *minus* illud imitabatur *f*). Superata aliqua jugi parte aditus ſe parat in vallem, in qua Lacus *de Joux* ſitus eſt, amphitheatri in morem oculis ſeſe objicientem, quod ab occidente oblique ductu in ſeptentrionem porrigitur, planitiem duplex lacus, medio vallo diremtus, replet, adclivia, pagos, etſi non ſpecioſos, incolas tamen ad 3000 comprehendentes, oculis objiciunt, quae montes altiores, etſi non ex altiſſimis undiquaque claudunt, et anguſtas ſaltem aliquas valleculas pro exitu relinquunt. In deſcenſu ad foſſas et in pratis copioſa

fuit

b) *Pyrola minor* L.

c) *Saxifraga rotundifolia* L.

d) *Galium rotundifolium* L.

e) *Geranium pratenſe* L.

f) Hoc *Thaliſtrum* non aliud eſt quam *aquilegifolium* L. Exempla enim, quae in ter plantas ſiccas h. Auctoris ſunt, ſtipulas perfoliatas ad petiolorum diviſiones habent, iſti proprias, et cum icone in Ill. Jacquini Flora Auſtriaca t. 318. ad amuſſim concordant. Minora quidem ſunt folia, quam in Aquilegia, et in hoc ipſo Thaliſtro interdum deprehenduntur, et corollae

fuit *Carduus Eriſithales flore rubro g)*, (quem in Albio monte olim ochroleuco flore repereram,) folus vario modo ludens ſeſe obtulit. Refectus prandio frugali, ambientia luſtravi, et quidem in ſylvula vallo ſupradicto objecta fuit *Acinos Riv. flore minore h)*, et *Alſine tetrapetala foliis longis alpina i)*. In lacu occidentali copioſa fuit *Perſicaria fluitans k)* et *Conferva viridis* noſtrarum aquarum. Ad viſitandum lacum ſeptentrionalem me cymbae commiſi, quam humanus hoſpitii dominus ipſe direxit. Lacus triangularis fere formae nigram quaſi aquam vehit, quod profunditati tribuo, ab hoſpite confirmatae. Tranſiens deſcendi in angulo ſeptentrionali, ubi lacus aquam exonerat per gurgites horrendos, ſub petris calcariis praeruptis triſtibus ſeſe abſcondentes, et aquas ſecum abducentes, quae ſcaturigines Orbae amnis perhibentur, infra in valle confine emergentis, quod ex ſitus ratione vero ſatis ſimile videtur, etſi ſat longe diſtet. Audax ſolertia hominum ibi aedificavit molendinum et machinam ſcindendis in aſſeres arboribus dictam, quae artificioſe ſtructa eſt ita, ut ſerra una cum machina abſoluto opere ſeſe retrahat et opus redintegret. Lacu, vento ſubſolano quidem valde agitato, oppoſitum litus repeto, et rupes meridionales, ſeptentrioni oppoſitos perrepto. Inferiora iſtarum rupium, frutetis conſita dederunt in ſaxis ſoli expoſitis *Saxifragam ſedifoliam rotundifoliam l)*, in opacioribus vero eandem foliis adeo longis et fere longioribus, quam Geſnerus Faſc. I. pinxit m), quare et haec Helvetiae indigena et vix diverſa videtur. *Ageratum* Tournef. n) jam hic fuit ſat frequens, et in praecipitibus *Hieracium alp. villoſum o)*, flores parans et duos fere pedes

tellae ſtamineumque color haud purpuraſcens. Conveniunt tamen illa cum Ill. Jacquini figura magnitudine, petalorum vero ſtaminumque colorem non ſemper eſſe purpureum, idem in deſcriptione hujus Thaliſtri diſerte docuit. *Adnot. Edit.*

g) Fit *Cirſium* Halleri Hiſt. Helv. n. 175. *Cnicus Eriſithales* L.

h) *Thymus alpinus* L.

i) *Moehringia muſcoſa* L.

k) *Polygonum amphibium* L.

l) *Saxifraga Cotyledon* L.

m) Tab. XII. f. 27.

n) *Erinus alpinus* L.

o) *Hieracium villoſum* L.

pedes altum, ut et *Carduus* aliquis, de quo proxime pluca nempe Hall Hiſt 164 varietas forte, aut diſtincta planta. *Cochleae ſtriatae fuſcis taeniis* ibi in frutetis, quas legi et quidem maxime ex corylis.

Altero mane ad d 13. Jul. mox poſt ſolis ortum adſcenſum paravi in montem ibi celeberri, *la Dent de Vaulion* vocatum Statim e diverſorio adſcendens via aliquas rupes tangit, in quibus *Erinus alpinus* L. *Ageratum* Tournef copioſiſſimus fuit, et laete floruit, amoeno flore dilute purpureo oculos juvans. Exinde ad valleculam montanam penetratur, quam prata humida ſubpaludoſa formant, in quibus praecipue notabilis occurrit *Carduus Eriſithales* foliis ovatis integris fere, ſi dentes marginis excipis, ubique flore rubro, ut et *Gentiana campeſtris* Linnaei jam laete florens, cum apud nos autumni alumna eſſe ſoleat. De hac certus ſum, quod non niſi varietas ſit *Gentianae Amarellae* ſ fauce piloſa, cum apud nos ante hos quatuor annos mihi occurrerint circa Syburg Franconiae exemplaria procera multiflora, in quibus utriusque ſubolis calix repertus fuit copioſe et promiſcue, cum jam ad Geſneri Faſciculum monuerim calicem admodum variare Senſim in altiora montis emergo, ubi ad ſylvularum margines occurrit primo *Valeriana ſylveſtris p)* foliorum villoſitate efficaciam demonſtrans, dein etiam ad ſaxa humidiuſcula fuit *Valeriana integrifolia q)*, et in gramınoſis laetiſſime crevit *Gramen paniculis ſpecioſis purpureo-argenteis* Scheuchz Prodr. pictum *r)*, verſus altiora inter ſaxa iter dirigenti in graminoſis copioſa fuit *Centaurea lutea* major, non florens quidem, ſed pecudibus, ibi paſcentibus, tamen intacta Poſt hanc, adhuc altiori loco, *Veratrum flore viridi s)* aeque copioſum fuit non florens Inter petras vero paſſim quoque occurrit *Helleborus viridis* folia ſaltem gerens Poſt caſas alpinas ibi ſat frequenter diſperſas continuo adſcenſu pergenti occurrit in petris tenui gramine veſtitis *Globularia minor* foliis apice ſinus *t)*,

 ceſpi-

p) Valeriana officinalis L.

q) Valeriana montana L.

r) Poa alpina L.

s) Veratrum album L.

t) Globularia cordifolia L.

ceſpites magnos ibi efficiens, *Ciſtus ſ. Helianthemum piloſellae udo fol.* Bauh. u), aeque ac *Uva urſi* v) baccis copioſe onuſta, inter ſaxa ipſa fuit *Carduus idem*, quem ſupra adduxi, a Cirſio virore braſſicae non ſolum foliis pinnatis, pinnis laciniatis ſpinoſis, aequa ae colore floris dilutiore, aliisque dotibus, v. g. ramoſo habitu diverſus, non niſi bis tamen occurrit florens. Ad praecipitia eleganti florum candore repit *Dryas octopetala* L. partim ſeminibus onuſta. In ſylvula fago et pinu conſtante iterum fuit *Valeriana integrifolia*, et *Geranium* ſylvatico Linn. omnino ſimile, ſed flore majore purpureo, quale et ſupra jam tetigi. Tandem in ſummum dorſum emergo ſicco ſolo, non niſi tenui gramine veſtito, tectum. Hoc in parte ſeptentrionem et occidentem partim reſpiciente muri inſtar praeruptum eſt, et 3500 circiter pedes altum aeſtimabatur a viae ductore, (quod non ipſe exploravi, inſtrumentis neceſſariis deſtitutus) et horrenda omnino ex iſta parte objicit, etſi ſupra iſtud praecipitium magna Galliae finitimae pars ad *Veſontium* usque ſeſe objiciat. Ad orientem et ex parte ſeptentrionem magis occurrit viſui magna pars *lacus Neocomenſis*, ad occidentem vero e longinquo ſe objicit mons *Dola*, et infra propius Lacus uterque *de Joux* cum aliquot aliis finitimis minoribus. Meridiem et ex parte orientem verſus *Lacus Lemani* magna pars, et regio Lauſannam ambiens patet, et e longinquo ultra hunc limites oculo ponunt, ad ſiniſtram cacumina nivoſa Alpium *Valeſianorum*, et ad dextram ſeries cacuminum, aeterna glacie tectorum montis *Maudit* ſ. *Mont Blanc* vocati. Cuncta iſta viatoris moleſtum ſatis adſcenſum largiter compenſant tot pulcherrimis objectarum rerum ſimulacris.

Aliquo quiete paullum refectus deſcendo rurſus, paullo devians per aliam ſemitam praecipitii latera ſequentem diverto ad arbores quasdam demortuas, quas aeque ac Pinum Cembro *Uſnea nigricante* copioſe obſeſſas reperi w). In petris ultra prius jam adductas plantas ibi fuit non infrequens

u) Intelligitur hoc nomine *Ciſtus arbuſculus* Jacqu. fl. auſtr. t. 399. Hall. Hiſt. 1034 *Adn. Ed.*

v) *Arbutus Uva urſi* L.

w) *Lichen jubatus* L.

quens *Ranunculus aconiti foliis flore albo* x), quem et nos circa Burgbernheim habemus, flores autem notabilius majores et caules rubentes fuerunt, ſoli alpini indubie effectus. Totus mons lapide calcario griſei et albidi coloris componitur, absque ullis petrificatarum rerum veſtigiis, et in via occurrit puteus initium, quem, ut referebatur, Paſtor aliquis Eccleſiae finitimae cum ſpe inveniendi venas metalliferas, fodere incepit, ſpe autem fruſtratus, ab opere deſiit, occurrit interim nobis aliquis, quem vix ductor pro metallifoſſore agnovit, quorum aliqui in hunc usque diem audaciſſimo conatu ſe ad plures orgyias ad praecipitia latera in confinus, ubi *Dryas* fuit, ſicut ſupra dixi, funibus demittunt fodiendi cauſſa, quid vero inveniant, neſcitur. In graminoſis circa caſas alpinas fuit aliquoties *Orchis alp nigra* y), ad Geſnerum deſcripta, et *Gentiana verna major* z), tam florens, quam ſeminali capſula iam onuſta. Ad latera pratorum pago confinium occurrit *Geranium molle* Linn. penitus ſimile, flore notabiliter magno laete caeruleſcente, ſed magis radiato habitu praeditum. Vallis interim haec, medio Jura monte concluſa et hucusque deſcripta, ad 6000 incolas poſſidere perhibetur, quam poſt meridiem ipſius hujus diei relinquo, viam ſequens ad ripas lacus ſeptentrionalis, in quibus *Scrophularia rutae foliis* a) et *Arabis alpina* et *Sagina alpina* in rupibus laete floruerunt, in agris confinibus praeter varias vulgatiores plantas *Hieracium ſ. Picris Cichoreum luteum* b), facie aliquantum diverſa, ſe obtulit. Deferenti lacum clauſtra rupibus calcareis, quae e montibus propinquis, praeſertim ex mox nominato Dent de Volion decuſſae et dejectae ſunt, a dextris ſito, dum a ſiniſtris magis ſchiſtus dominetur, referta obiiciuntur, quae anguſtam admodum vallem undique concludant, laeto tamen gramine abundantem, inter quod *Campanula Trachelium* et *glomerata*, admodum pingues, copioſae fuerunt. Via anguſta et rupibus variis ſemper impedita ad fruteta tandem ducit, ad quorum graminoſa loca *Gentiana lutea* penitus floruit. Haec ſenſim ducunt ad Clau-

x) *Ranunculus aconitifolius* L.

y) *Satyrium nigrum* L. Geſn. faſc. II p. 21. t. XX. f. 66.

z) *Gentiana acaulis* L.

a) *Scrophularia canina* L.

b) *Picris hieracioides* L.

Clauſtrum anguſtiſſimum, per quod via praeceps et moleſtiſſima ducit, dum reliquus mons, *Mont de Cire* dictus, ſylvis denſe conſita fuerit, atque pervenimus e regione montis iſtius praecipitis *Dent de Vaulion*, intuentes muri inſtar erectum praecipitium. Continuamus ſemper deſcendendo per ſimiles vias moleſtiſſimas ejusdem montis *de Cire*, inter denſiſſima ferarum (ſi adeſſent) luſtra, quae diem nobis praeripuerunt, et tamen ad viam legi *Campanulam foliis rhomboides* c) *fl. caeruleis* adeo conſpicuus, ut fere perſiciſoliam aequaverint; *Hieracium Piloſellam* fol. lanceolatis raro piloſis d), quae ſtolones emittit et apud nos quoque eſt, et *Polygonatum verticillatum* e), quod in frutetis Dent de Volion etiam occurrit. Tranſitur per ſtrues alicujus carbonariae locum, in quo ſuper terram carbonibus minutis mixtam copioſa eravit *Peziza minima crocea*. Ex clauſtris damum emergimus, translati in vallem ſenſim ampliorem, fertiliſſimam quibusvis generibus frumenti et graminis, quam parſiurt ad lacum Naocomenſem tendens, amnis *Orbe*, cujus origines ex ſupra dicto lacu *Joux* deducunt incolae, et in qua ſitus eſt pagus *Orbe*, variis officinis ferrariis celebris. Ad dextram vallis viam continuantes tandem ad altiora magis elevamur, ex quibus proſpectus patet non ſolum in catarractam ejusdem amnis perelegantem ibi occurrentem, ſed et in viam regiam, quae ex Helvetia in Gallias eo loco ducit. Per totam viam a dextris ſylvae et fruteta nos non relinquunt, in quibus praecipue et copioſiſſime adſunt *Geranium illud flore majore*, floris colore ex caeruleo purpureo et purpureo majore ad illud Geranium Gratia Dei vocatum ſatis accedens, et illud etiam *flore minore* floribus magis corymboſis, quod aut ſolum aut utrumque *Geranium ſylvaticum* Linnaei erit; paſſim etiam adſunt *Pyrola piſtillo recto* f). *Roſae* quoque variae, e. g. alba

c) *Campanula rhomboidea* L.

d) *Hieracium dubium* L. Cur autem dubium? ſi quidem planta vere diverſa eſt ab illa Hall. n. 52, quae apud nos, quantum ſcio, non creſcit, haec vero *Piloſella* Hall. Hiſt. n. 53. apud nos frequentiſſima eſt. Ob foliorum colorem vocare poſſet pallidum vel albidum.

e) *Convallaria verticillata* L.

f) *Pyrola minor* L.

alba g), ut et illa *non ſpinoſa flore intenſe rubro* h). Per montoſa continuantes in objectas ad ſiniſtram regiones, in quibus *Cluſa* oppidulum ſitum eſt, quod monti ſolitario impoſitum, difficile acceſſu videtur, et e longinquo *Eboredunum*, verſus *Lacum Neocomenſem* oculos paſcimus varietate lacorum, donec hoc montium jugum ſuperantes ad dextram quoque proſpectus ſeſe aperit in totam regionem *Vaudenſem* usque ad *Genevam* verſus, fertiliſſimam praecipue vineis praeſtantiſſimis. Per montoſa et colles pergimus tota fere *Buxo fruteſcente* tecta, odore caput non parum gravante. Adimus demum oppidum *Sora*, caſtellum antiquae familiae. Antequam ad illud accedimus, tranſimus rivum, qui molendinum circumagit, et cujus pars una ad Lacum Neocomenſem, et altera ad Lacum Lemanum tendit, adeoque hoc modo, non ſolum in Oceanum mediante priore, ſed et in mare mediterraneum mediante poſteriore undas ſuas propagat. Tandem redimus *Lauſannam*, ad ſepes ſolum *Alceam foliis imis rotundioribus* i) copioſe creſcentem obſervantes. Eodem adhuc menſe abhinc et usque ad finem Julii ſaepius in confinia Lauſannae exſpatiatus ſum, et varia adhuc legi, v. g. in via verſus *Morges Dianthum calycibus campanulatis* k), ut Hallerus dicit, qui tamen proprie quinquangulus eſt, et preſſione ſaltem campanulatam formam acquirit, idem etiam ad ripas Lacus arenoſas infra *Ouchy* frequens eſt. In collibus ſiccis *Linum fol. acuroſis fl. rubro* l) et *Chamaedrys* m), et *Dianthus faſciculoſus* n) etiam ea *varietas unico flore* o), et *Andropogon* (*Gramen dactylon villoſum* p) et *Scabioſa* montanae ſimilis *pratalis* q). In vallecula montis ſeptentrionem

g) ? *Roſa* Hall. hiſt. n. 1101.

h) *Roſa alpina* L. *Roſa inermis* &c Hall. Hiſt. n. 1107 in nomencl. vitio typographi omiſſa.

i) *Malva moſchata* L.

k) *Gypſophila Saxifraga* L.

l) *Linum tenuifolium* L. floribus carneis, lineis purpureis. Folia et calycis foliola ſpinulis minimis hirta.

m) *Teucrium Chamaedrys* L.

n) *Dianthus prolifer* L.

o) *Dianthus diminutus* L.

p) *Andropogon Iſchaemum* L.

q) Scabioſa, quae Lauſannae ad aggeres elatiores ultra portam S. Franciſci creſcit, ſtatura tripedali, pluries ramoſa fuit, folia vero in totum *columbariae* Linn. ſimilia fuerunt,

trionem verſus ſiti, quam ſaepius adieram, habui in frutetis *Taxum* baccis onuſtum et *Helleborinen atropurpureo flore*, quam ſi volis, ob barbae criſpulos monticulos pro diverſa habere potens. In agris fuit *Campanula rapunculi radice floribus ſecundis r)*, ad ſepes *Scorodonia s)* et *Calamintha montana t)*, quae et in planitie ad ſepes eſt verſus *Morges*, florum magnitudine quidem varians aliquantum, attamen vix vere *Calamintha fl. majore* Auctorum, (ut Hallerus injungere videtur,) et in agris *Hieracium Cerbereum luteum u)*, foliis perquam latis. Verſus Lacum Lemanum ad ſiniſtram pagi *Ouchy* in pratis muſcoſis et ad humida graminoſa fuit *Inula* quae *Conyza major* C. B. et *Baccharis v)*, in rivo per fundum glareoſum fluente *Hippuris foetida w)* admodum elongata, *Caſtanea x)* etiam florebant eo menſe. Ad ripas Lacus erat *Silene nutans*, *Scrophularia rutae folio y)* perquam ramoſa, et *Sideritis herba luteola* Riv. *z)*, annua planta ſatis diverſa ab altera, flore luteolo *a)*. In agris *Lathyrus fl. rubro* jam defloruit ſiliquis onuſtus ſpontaneus, de quo ſupra. Hortum etiam pluries viſitavi honeſtiſſimi viri *Zimmermanni*, Conſiliarii Haſſo-Caſſelani, variis elegantibus plantis refertum exoticis, in quo etiam vidi *Epilobium alpinum anguſtifolium*, quod cultura quidem minimum a ſtructura ſua aberrans, adeoque totum diverſum ab altero latifolio, cum quo Linnaeus confundit.

Nix in ſummis montibus adhuc durans, et montes Sabaudiae confines adhuc tenens, ſicuti quotidie ante oculos mihi fuit, me abſtinuit hucusque

fuerunt, nempe inferiora integriora dentata, quo altiora in caule eo magis pinnata, pinnis anguſtis fere linearibus aut lanceolatis, extrema ſcilicet plerumque paullo latiora.

Flores penitus reſponderunt jam dictae, excepto eo, quod pili inter flores albi fuerunt, quod tanti vix eſt. Eſſe tamen poſſet *Stoebaſa* Hermanni Parad. Bat. p. 221. fig. 5. Forte magis huc quadrat, quod Hallerus Hiſt. n. 202. p. 88. adducit (ſub lit. δ), de qua tamen dubito.

r) *Campanula rapunculoides* L.

s) *Teucrium Scorodonia* L.

t) *Meliſſa Calamintha* L.

u) *Picris hieracioides* L.

v) *Conyza ſquarroſa* L.

w) *Chara tomentoſa* L.

x) *Fagus Caſtanea* L.

y) *Scrophularia canina* L.

z) *Stachys annua* L.

a) *Stachys recta* L.

Digitized by Google

que, quin ad viſitandos eos me accingere poſſem. Nunc vero diminutione facta, parvi iter alterum alpinum in montes, Lauſannae oppoſitos, et ingreſſus viam ad d. 5. Aug. multo mane lacum Lemanum trajicio navi, atque poſt trium fere horarum intervallum fere transverſim eum emenſus, Sabaudiae littus attingo ad pagum proxime ſitum *Tour Ronde* appellatum, ubi, adcerſito viae ductore, hora octava matutina iter ingredior in montem *Mimiſe* vocatum, fertiliſſimum omnium, ut perhibent, ejus regionis, et fere adjacentium locorum. Parva planities eſt, ad Lacum, quae inter herbas vulgares ſolam *Calaminthan* ſupra notatam obtulit. Poſt hanc adſcendo per colles aratrum expertos, in quibus *Lathyrus* Hall Hiſt. n. 438. *b*), variis frumentorum generibus conſitos, quibus intermiſcentur ſylvulae *Caſtaneis*, *Juglandibus* et varii generis frugiferis arboribus conſitae. Caſtaneae tunc adhuc floruerunt, aut flores maſculinos decutere inceperunt, interim tamen, quod viae ductor nunciavit, finiente hoc menſe meſſis fructuum inſtituitur, qui in acervos, intra circulares areas, lapidibus cinctas, depoſitos accumulantur, et cum cortex rumpitur, colliguntur in annuum cibum. Seoſim ad altiora penetrare incipio per ſemitam ſatis moleſtam, ad cujus latera *Phalangium ramoſum* *c*) frequens fuit, et montoſa Acere et Avellanis inter ſupra nominata abundant. Rivus ex altioribus montis praecipiti curſu et multo ſtrepitu delabitur, quem aliquoties transeo, et ad ejus ripas decerpo *Jacobaeam*, *alpinae rotundifoliae* floribus ſatis accedentem, ſed pinnas in foliis habentem, qualem olim verſus *Einſiedeln* quoque decerpſeram. Inter fruteta opaciora quoque occurrit *Aquifolium* *d*), baccis onuſtum nondum maturis. Semper adſcendendo attingo molam ad iſtum rivum ita inſtructam, ut rivus deſuper in rotas deſcenderet, cujus lapides molares ex Granito nigricantibus maculis fuere, quam ex altioribus montibus petitum referebant. Promontorium quaſi iſtud emenſus in planitiem pervenio apricam, agris pinguibus, frumento et tritico conſitis cultam, in qua parochia ſita eſt, *Tenon* vocata, aliquot caſis et parvo templo con-

ſtans,

b) *Lathyrus ſativus* L.

c) *Anthericum ramoſum* L.

d) *Ilex Aquifolium* L.

ſtans, cujus Parochus totam iſtam regionem ad plurium horarum circuitum proſpicere ſacris tenetur. Non poſſum ſatis laudare comitatem illius viri, *Louis* vocati, qui humaniſſime me excepit, et ovis ſorbilibus aliquot refecit. Poſt horulae circiter quietem ad ulteriora me accingo. Duplex via eſt ibi in montis altiora, una brevior, maxime praeceps, altera longior non minus difficilis. Ego vero longiorem ſequor eo lubentius, quo magis diverſas regionis cognoſcendi cupidus eſſem. Viam ingredior per agros tam frumento, quam *Solano tuberoſo* conſitos usque ad caſas quasdam paſtorias, ambiendo pedem montium altius ſitorum, poſt quas viae cavae incipiunt inter fruteta opaca, in quibus *Campanula rhomboidifolia* eadem, quae in monte de Cire, ſed varie ramoſa, pinguior et altior, et *Campanula minor alpina rotundifolia* e) *flore albo*, porro *Geranium molle*, atque *Aſtrantia* f), ſaepius rubro involucro varians, atque *Polygonatum verticillatum* ſemine foetum, *Filicula Adiantum nigrum* g) et illa *cuniculata* vocata h). Extra ſylvas emergens ad lapides calcarios legi *Lichenem gelatinoſum granulatum* et alios *congeneres*, atque ac *Brya aliqua* et *Hypnum incanum* &c. Senſim magis attollitur mons et ex ſitu aprico ſterilis fit, tamen ibi ſuit *Acinos flore majore* i), et ſolo alpino natium fecit. Praetereo caſam, quam inhabitavit per aliquot annos Helvetus nobilis ex urbecula aut pago *Villeneuve* ad oppoſitum lacus litus ſito, qui ſanitatem adquiſivit ex amoenitate loci et adſcenſu difficili in loca adjacentia. In praecipitia montis altiora evolu incipio, in quibus *Pimpinella fl. rubro* k), quam Hallerus pro diverſa olim habuit, ſe primo obtulit, dein *Arnica Bellidiaſtrum* Mich. l) copioſum fuit, et *Anthericum alpinum* m) florens, quod Lauſannae antea jam ſemen geſſit. Pergendo per praecipites vias montis inſtar muri erecti, (ex cujus petra aliqua ad dextram ſita, nuditus tertius alpicola cum ſarcina foeni decidens dilaniatus ad pedem inventus eſt,) ſeſe copioſe obtulit *Hieracium*

e) *Campanula rotundifolia* L. var. β.
f) *Aſtrantia major* L.
g) *Aſplenium Adiantum nigrum* L.
h) *Acroſtichum ſeptentrionale* L.
i) *Thymus alpinus* L.
k) *Pimpinella magna* L. var.
l) *Doronicum Bellidiaſtrum* L.
m) *Anthericum calyculatum* L.

racium alp. villoſum n), et *Valeriana rotundifolia* o), et illa *ſylveſtris*, parcius *Mutellina* p), jam defloruerat *Soldanella*, viguit vero *Parnaſſia* et *Veronica maxima latifolia teucrifolia* q), quae vera alpina planta, nunquam, ut Leyſerus credit, circa Halam in planitiem deſcendens, *Hieracium aureo flore* Hall. r), *Galium alpinum minimum* s), et aliud *elatius* t) frequens fuit, et *Pedicularis verticillata* rubro flore primo elatior, ſenſim ad altiora emergenti humilior; *Gentiana alpina verna major* jam defloruerat, illa vero *minor* u), bavaricae accedens ſed longioribus foliis, adhuc floruit. *Bartſia* jam defloruerat. *Trifolium lupulinum erectum* flore admodum magno ſpadiceo v), caule humillimo fuit. Saxa incolunt *Aſter alpinus magno flore* w), et in apricis *Gramen typhoides alpinum* x), ſimilibus *Saxifraga ſedi alis rotundis fol. Petaſitis* ſ. *Tuſſilago minimis fol. reniformibus* y) frequens per totum tractum fuit. Verſus ſumma *Campanula ſubfolia uniflora* Scheuchzeri It. Alp. z) ſaepius adfuit, et *Veronica ſcapis aphyllis* a), folia majora quam in Pilato monte habens, et illa *fruticans* b), porro *Erigeron alpinum* c) tam uniflorum quam aliquot florum. In crepidinem aliquam poſt ſuperata enormia praecipitia adveniens, in humidis fuit *Saxifraga fol. laxe ciliatis flore flavo* d), flores parans, et in ſaxis *Dryas* Linn. ſemina ferens.

Per totum illum adſcenſum miratus ſum ſtructuram petrarum et montis praerupti, ad ſiniſtram adſcenſus ſiti, cujus ſtrata ex maximis fruſtis calcariis, ne veſtigium quidem petrificatorum exhibentibus, compoſita mox

undo-

n) *Hieracium villoſum* L.
o) *Valeriana montana* L.
p) *Phellandrium Mutellina* L.
q) *Veronica latifolia* L.
r) *Leontodon aureum* L.
s) Hall. hiſt. n. 718.
t) Hall. hiſt. n. 715.
u) *Gentiana verna* L.
v) *Trifolium ſpadiceum* L. var.

w) *Aſter alpinus* L.
x) *Phleum alpinum* L.
y) *Tuſſilago alpina* L.
z) *Campanula rotundifolia* L.
a) *Veronica aphylla* L.
b) *Veronica fruticuloſa* L.
c) *Erigeron alpinum* L.
d) *Saxifraga autumnalis* L.

undoſo ductu, mox arcuato ſitu ex ſuperioribus ad inferiora dirigebantur, ita ut concludere potuiſſem, hunc montem ex aliquo loco, et quidem ad dextrum ſeu ad meum adſcenſum, reſupinatum et quaſi inverſum fuiſſe, dum aut baſis ejus in uno latere ablata et abrepta aut in abyſſum detruſa, et incumbens montis moles ita inverſa fuerit, aut dum ex altero latere ſ. ſiniſtro, ubi lacus nunc eſt, exploſio aliqua facta fuerit, montis fundamenta in altum tollendo quaſi volutata, adeoque quaſi inverſa fuerint. Petrae calcareae ſunt, paſſim raras abietes aſt non proceras nutrientes, paſſim gramine tectas, ex quibus foenum multo labore et periculo ſecant monticolae, et trahis devehunt aut dorſo reportant. Dum ultra dictam crepidinem, quam ab utroque latere rupes ſat altas fecerunt, per anguſtam ſemitam emergo, ſummum etiam montis ipſius dorſum ſeſe aperit, quod ad ſiniſtram immenſo et horribili abyſſo usque ad radicem patet, ad dextram vero ſemitam anguſtam offert ſuper maſſam aliquam, reliquis quaſi montis partibus interpoſitam, quam ſchiſtoſi maſſa rubeſcens in laminas circiter dimidium digiti craſſas ſeſſilis componit, ductu et directione vero a reliquis montis ſupra dicti ſtratis penitus diverſo, non horizontali ſed oblique verticali ſitu, ſicuti ſubſtantia penitus diſſimilis fuit. De hoc ſingulari ſtrato infra quaedam occurrent. Nullum fere dubium videtur, quin haec maſſa peregrina ſit reliquis ſtratis montis, adeo ut dixeris, hanc reliquis quaſi incuneatum eſſe, ut metalliceolae noſtri loqui amant.

Schiſtus is ſi ibi natus fuiſſet, ad horizontem ſtrata ejus poſita fuiſſent; nunc vero cum oblique verticaliter poſitae fuerunt ejus laminae, aliunde aut enatus aut in eum locum translatus credendus eſt. Aquarum quarundam impetum eum huc transtuliſſe, altitudo et loci ſitus fere nullo modo permittit; ſi vero montis ruina cuncta invertit, et ima in ſummum ſuſtulit, tunc ejus ortus et reliquus ſitus melius intelligentur, quod infra pluribus tangam.

Emenſum hoc ſchiſtoſum ſtratum, quod ſterile omnino fuit, tenuis graminis planities in ſolo nigro excepit, crateris inſtar rotunda et altioribus

bus cacuminibus, paſſim tamen graminoſis, circumſepta, ſatis tamen ſpatioſa, ut ad mille pecora in eo monte paſci poſſint, referentibus alpicolis, tam vaccae, quam et potiſſimum caprae et ſues nigri coloris, in quo ſat frequens fuit *Ranunculus alpinus caule et calice hirſuto, foliis glabris* e) Iſtam planitiem ſcaturigines aliquae parvae uliginoſam reddunt, in qua uligine praecipue *Rumex alpinus* laete crevit, et ibidem caſae aliquot alpinae miſerrimae poſitae ſunt, inter quas cum pecudibus homines ſe recipiunt noctu, cum ob praecipitia in ſtabula colligi debeant pecora, ne praecipitentur noctu et pereant. Inter ea miſere pernoctavi humi decumbens, lapidem pro culcitra habens, et caſeo molli paſtus aquaque nivali paullo calefacta potatus f) Altero mane in partes

e) Eſt *Ranunculus nivalis* L. Hall. Hiſt. n. 1168. Idem *nivalis* Crantz Faſcicul. II T. IV. f. 4 praecipue etſi minus altus.

f) Deſcribam ejusmodi tugurio lum. Stabulum proprie eſt, quadrata circiter forma exſtructum, ex trabibus ligneis, baſi forte lapides, interdum ſatis lacunoſa, ſuſfultis. Intérium facit porta modica, cui ex adverſo foramen magnum quadratum altius locatum, et pro lumine admittendo et aditu aeris liberi et ventorum ſemper apertum tenetur. Prope portam, vel non longe ab illa, ad latus foci ſpectus eſt, aliqui bus lapidibus cinctu, qui pro cuſtodiendo igne, at pro ſedibus incolarum, (qui tamen ſaepe humi diſcumbunt) et advenarum ſerviunt. Latera tugurii utrimque ab area media ſeparantur, pariete ex lignis et aſſeribus conſtructo, in quibus (latibulis inertis) pecudes cuſtodiuntur per noctem, ab uno latere vaccae et caprae, ab altero porci.

In area iſta media, poſtquam ſeſſus fueram aqua nivali, ex proximo monte depluente at ad ignem tepefacta, ad ferculo alpicolarum, et ex caſeo recenti, vel potius lacte in caſeum coacto caprino et cremore lactis dulci compoſito, exquiſitiſſimo, ut fateor, ſapore et fragore leni tamen corpus perurdente robuſtius, me ad quietem compoſui, homo certe faſtidio veſtitus incumbens, et lapidem ſub capite ponens, cum totus ſopeam decumbere aequaret, noctem frigidam, vel horulas aliquas, ob boatus et grunitus pecorum et alios ſtrepitus informes, transegi. Mirari ſatis non poſſum fidelitatem Sabaudi, viae ductoris, quem Lauſannae conduxeram, ut cum me huc transveheret, et viam in montes monſtraret. Hic homo, etſi a me requiſitus ut ſubitum irat, tamen conſedit ad focum exſtinctum, et manente me decedere recuſavit, dicens: Je ſuis mieux ici, auprès de vous. Paullo poſtea acceſſere

partes ambientes altiores paſſim evagor, et circa rupes, humentes ob nivem in altioribus crepidinibus adhuc praeſentem, legi *Ranunculum alp. fol. trifido album g)* Ad altiores adhuc montes promoveo, quos gramen tenue veſtit, et quos alpicolae ad montem *Aube* pertinere, fortaſſis non exacte narrantes, nuncupant, ibique copioſum reperio *Ciſtum ſerpillifolium h)*, de quo paſſim auctores varia ſentiunt, item *Carduum* eundem, quem in *Dent de Vaulion* legeram, nondum florentem, et *Salicem ſerpillifoliam lucidam i)* humi procumbentem, caudices ſpithamaeos formantem. Pergendo ad rupes adhuc altiores evehor, ibi iterum occurrit *Globularia minor folioſa* et *Saxifraga ſediſolia* in ſiccis rupibus vix pollicem unum alterumve alta, foliis rotundis, cum infra in humidioribus longa fuerat et plurium florum. Aderat quoque *Selaginoides* Dill. *k)*. Occurrit aliquoties *Sedum l)* flores evolvere incipiens, foliis denſiſſime imbricatis et caule vix dimidium pollicis explente. Ad altiores adhuc adrepo petras, ubi occur-

fere aliqui, forte inquilini, qui tamen, me non reclamante, et Sebaudum non ductorem videntes, ſtatim receſſerunt, nec redierunt, vix aliud fere quaerentes, quam me forte dormientem, cui fortaſſis aliquid rapere potuiſſent. Eo etenim tempore rumor fuerat, duos Medicinae aut Chirurgiae ſtudioſos in montem Salevam, eadem montium catena cohaerentem, herbarum cauſſa profectos, deperditos nec amplius inventos fuiſſe. Etiamſi neutrum ejusmodi rumorum crediderim, de me ſatis ſecurus, evaſi tamen feliciter, et oriente ſole ſurrexi ad pervagandos colles petroſos conterminos, et poſtea ſalvus montem deſcendens ad virum eccleſiaſticum me magno gaudio excipientem reverſus ſum, etſi ob noctem inſomnem laſſus, qui tamen, ut mihi confeſſus eſt, de me metuerat, et deſtinaverat nuncium aliquem ad montem mittere, niſi rediiſſem. Summa hominum montanorum paupertas forte interdum indigentes ad ſcelera perpetranda impellere aut trahere poteſt, quae alias horrerent.

Caſae alpicolarum helveticorum plus commoditatis habere ſolent, et ad minimum lectulum aliquem, ſtramine aut foeno plenum, in quo viator ſi non dormire, tamen quieſcere poteſt.

g) *Ranunculus alpeſtris* L. Hall. Hiſt. n. 1167. admodum parvus, cum in Pilato olim proceriorem legiſſem.

h) Crantz. faſc. 2. p. 111. tab. 6. f. 3. (Non differt ab eo cujus mentio facta eſt ſupra p. 22. not. o. *Adn. Edit.*)

i) Vel potius *Salicem alpinam* apud Scopolium occurrentem Fl. Carn. edit. 2. tab. 61.

k) *Lycopodium Selaginoides* L.

l) *Sedum ſaxatile atrorubentibus floribus* C. B. *Sedum atratum* L.

Digitized by Google

occurrit *Saxifraga*, quam illi *foliis integris et trifidis* Hall. fere adſimilare potuiſſem, quae vero ſicut uniflora fuit ex caulibus vix aliquot lineas pollicis altis, calice ruberrimo, petala vero flaveſcentia, ita etiam folia minima et fere circinata fuerunt, denſiſſime imbricata, inter quae vix unicum inter plura exemplaria fuit, in binos lobos breviſſime ſectum. Difficulter eam cum ſupra dicta conjungo, aeque difficulter tamen auderem pro diverſo eam habere, cum notae iſtae vix pro diſtinctione ſufficere videantur, at locus altiſſimus, ſiccitasque ejus, non parum tribuere potuerit ad producendas iſtas qualitates differentes primo adſpectu *m*). Pergendo adrepo at enitor in rupem difficillimam, gramine tamen leviter tectam, ab utraque parte praeruptiſſimam, et altiſſimo dorſo, vix aliquot pedes lato adeo in aerem elevatam, ut ab utroque latere proſpicienti totam regionem a ripis Lacus usque in montem abſconderit, et oculis non niſi media fere pars Lacus aquas objecerit. In ea tamen *Arenaria ferpilli foliis ad baſin ciliatis n*) copioſa fuit, et alia *Arenaria*, quae habitu ad iconem Vaillantii Pariſ. tab. 2. f. 3. accedit, at cum hac penitus coincidit. In extremis praecipitii quoque crevit *Dianthus*, quem *Stiriacum* olim Hallerus vocavit, digito paullo altior et foliis ad radicem collectis *o*). Proſpectu ex loco undique libero, ſed alicui qui praecipitia absque vertigine non adit, forte intolerabili, plurimum delectatus ſum, cum directe proſpiciens longe infra me habuerim Alpes oppoſitae regionis, ultra Lacum ſitas, Bernenſes ad ſiniſtram, totum fere pagum Friburgenſem et Bernenſem, Bernam usque, ad dextram, in montes Sabaudiae retro ſitos altiſſimos,

retro

m) Videtur *Saxifraga alp. ericoides* Seguier Ver. I. tab. IX. f. 3. cujus deſcriptio bene quadrat, et icon ſiniſterior et minor, non vero *Saxifr.* Ejusd. Vol. III. tab. V. f. 3. quam penitus differt ſecundum exemplaria, incertus enim fluctuat Auctor circa nomina, quibus duas plantas diverſas notavit, et in pictorem culpam rejicit, qui non peccavit, ſiquidem exemplaria Supplementi tab. cit. ſatis docent. Hallerus in Hiſt. n. 988. non bene utrumque nomen Seguerii conjungit.

n) *Arenaria ciliata* L.

o) Eſt, ut exemplaria docent, *Dianthus ſilveſtris* Wulfen. in Jacq. collectan. auſtr. vol. I. p. 237. c. ic. *Abbot Ehsteris*

retro totum Lacus Lemani tractum, Genevam usque, partim coram, partim ſub pedibus viderem.

His ſatiatus retroceſſi, et deorſum per graminoſa ſicca non ſine periculo recedo, ubi decerpſi binas *Avenas*, unam vulgari *Gramini avenaceo* ſatis ſimilem, alteram *locuſtis flaveſcentibus* ab Hallero deſcriptam *p*).

Ad rupes opaciores et humidiores accedenti occurrit *Saxifraga foliis partim integris, partim triſidis, mediae magnitudinis*, Hall. hiſt. n. 988. *q*) per totum

p) Hall. hiſt. n. 1499. β. 1497. β.

q) Judice etiam ill. Hallero *Saxifraga* haec eſt planta difficillima explicatu. Ex una parte mihi quidem videtur, locum natalem plurimum tribuere ad diverſitatem habitus, quo paſſim reperta eſt ab Auctoribus, partim a me ipſo lecta fuit. Vix igitur dubito, quin Saxifraga iſta in ſummorum aſperorum ſcopulorum rimis mihi occurrens, ut accedam Seguieri Veron. I. tab. IX. f. 3. ſiniſtra, denticulis minoribus lateralibus, ſiu ſatis triforens, fuerit eadem planta cum Hall. n. 988. ſed ob loci altitudinem et ſiccitatem adeo parum nutrita, ut ſolia, caules, et florem deſcripto ſupra modo dare potuerit. Cum autem porro deſcendendo ad humiliora, magis opaca et irrigua pervenirem, ſenſim plantam magnitudine ceſpitum, et ocellorum pariter ac caulium altitudine et florum copia, aeque ac foliorum diviſione, auctum decerpſi. Augmentum hoc, magnitudinis non ſolum, ſed et foliorum biſectorum et triſidorum, integris mixtorum copia, unanimare, quando plantulae humidiores, praecipue vero humidiores ſedes occupant, inſtantur exempla, in Alpium variis locis lecta, ubi et dentes ocelli et caules infra illos, qui mecis fere foliis triſidis inſtructi ſunt. Infima vero folia ſemper ſimplicia ac glabra, et omnes ſuccutes aeque ac calices ſemper ut ubique aciculis praepilatis conſperſi reperiuntur. In ocellis vero foliorum ea deprehenditur diverſitas, ſive floreant, ſive contum in flores progerminent, ut aliqui in totum glabri ſint, aliqui in ceſpitibus etiam conterminis ſolia, praeſertim ſi ſicca ſunt, minutiſſimis aciculis praepilatis conſperſa reperiantur, alii demum ceſpites ex ocellis plurimorum ejusmodi foliorum aciculatorum, compenſatur, quorum dein quaeque folia aliquam craſſitiem quaſi poſſidere videntur. Credibile igitur eſt, plantam, quo magis irrigua, fertu et humiliora loca in Alpibus incolit, eo majorem quantitatem foliorum triſidorum, partim glabrorum, partim viſcidorum nancisci poſſe, et forte undique viſcidam fieri et hanc ſieri,

totum habitum *Helveticus* ſimilis 1), pro modulo plantae magna et multi-
E 2 flora

ſeri, ſi locus ſufficientem vel abundantem humorem ſuppeditare poteſt. Laciniae ſu- liorum ubique inaequales ſunt, et folia ipſa, abſque acumine, apice ſaltem paullo anguſtiore vel obtuſiuſculo. Par ratio videtur obtinere in caulibus et numero florum. Minima exemplaria caulem humillimum, nudum, uniflorum, calice rubente trudunt, quo magis vero planta magnitudine creſcit, eo altiores caules et eo plures flores promit. Exemplaria mediae magnitudinis caules lignoſos aliquot per intervalla laxa gerunt, cum floribus duobus tribusve, altiores caules majorum ocellorum et pluriumorum foliorum trifidorum, plures ligulas, modo bifidas, modo trifidas emittunt, et flores tres, quatuor vel quinque. Semper tamen et in omnibus ſimiliſſima ſtructura partium, florum et calicum obtinet.

Plantam hanc ad exemplaria mediae magnitudinis deſcripſi in Faſc I. Oper. Geſn. n. 31 quae caules ſteriles non adeo foliis adſcendentibus obſeſſos habebant, quales in icone ſuſſtenore J. B. III p. 754 picti ſunt. Hinc igitur evenire volui, ſi dixi, iconem neam J. B. cum Geſneriana non penitus concordare. Nunc vero poſt aliquot ſupra 30. annos, pluribus exemplaribus inſpectis, video, quod idem ſe plantae Geſneri locum quoque habeat. Interim J. B. de duabus plantis aperte loquitur, una majore, altera minore oculis gratiſſima: de hac ultima indicavi, quod ad Geſneri plantam pertineat, diſertis verbis. Quam etiam aliam J. Bauhinus addecit, quae fratris C. Bauhini eſt, hoc penitus non pertinentem, nemo huius voluntatis mihi tribuet, quaſi eam permiſcuerim.

Contra omnem meam exſpectationem noviter contra me non prolixe ſolem, ſed et acriter diſputat Cel. Abbas de Welſen in Miſcell. Auſtr. Vol. II p. 123., perhibens, me ex duplici erroneo principio nimis perperam duxiſſe, quae ad illuſtrationem plantae Geſnerianae addidiſſem loco citato. Quod ad plantas ipſas attinet, (quas ſub duplici lemmate, unam *muſcoidem*, parum commode, alteram *moſchatam* adpellandam eſſe oſtendit, quarum prima eſſet Saxif. Hall. n. 988., et quam me vidiſſe mihi cedit, altera vero planta J. B. et Geſneri Faſc. I. n. 31., quam ego nunquam viderim) ipſi omnino relinquere poſſum, donec plantarum, praeſertim earum, de quibus ſermo eſt, genium et mutationes oculis minus praeoccupatis curatius contemplari voluerit. Vtrique ſolia ſunt ejusdem formae, menſurae, et faciei, *moſchatae* ſaltem glutinoſa ut fieri ſolet in plantis magis nutritis, ſicuti in ſpeciminibus *Saxifr.* Hall. n. 988 ſupra deſcriptis etiam occurrit, quibus omni modo utraque reſpondent.

Quomodo vir clariſſ. interpretem, tam meorum verborum, quam ſententiae Penneri egit, non tango. Pennerus, peregrinus homo in Helvetia, abſque debito totum

flora, foliis promiſcuis bifidis et trifidis inter integra mixtis, et ex rupibus opacis humidisque dependit *Saxifraga ericoides foliis quadrifariam imbricatis* s), floribus purpuraſcentibus et capſulis etiam onuſtæ. In opacioribus varii Muſci, et *Lichen* peltis immerſis f. *fuscatus* Linn copioſe.

Redeo denique per præcipitem viam ſupra indicatam, et in vallem ſupra dictam pervenienti ſeſe obtulit *Vicia floribus lineatis* Hall hiſt n 426 cujus

totum illum tractum alpium, qui lacum Lemanum a parte Sabaudiae circumdat, montem Saleram vocat, ſicuti ex aliis notis, quas Operibus Geſneri adlevi, colligere poſſum Mons Mimuſe, in quo ſupra dictas plantas adlegi, alterum quaſi cornu efficit montium, a Geneva cum monte Saleva incipientium. Ex omni veri ſimilitudine credere poſſum, Pennium non aliam plantam, quam quae a me ibi reperta eſt, intellexiſſe. Si igitur Pennei planta eſſet planta Geſneri, haec etiam eſſet planta Hall n 988. et mea, quam olim et nunc expoſui

Quae de Scheuchzeri et Tournefortii nominibus contra me urget, partim me penitus non tangunt, partim neceſſaria ipſe legere poterit in Halleri hiſt. Helv. ad n 988

Notandum hac occaſione eſt *Saxifragam hypnoideo* L. foliis radicalia, quae pilis albis raris hiſpida facile omnis, trifida, frequentes quinquefida, ex principio lineari gerere, laminis ex ovato acutis, ſtolones vero repunt, et folia iis ſunt ex lanceato lineata longe acuminata, non diviſa, laxe hirſuta, caulis erectus, nudus, exceptis aliquot ligulis linearibus Ex his corrigi poteſt definitio Linnaei

r) Similem liberalitati debeo Halleri, quam Hiſt. n 985 deſcribit. Ob folia omnia ſimplicia lingulata tenera, viſcoſa, in ocellos collecta &c. iisdem odorata, ob viſciditatem foliorum et caulium, (ut de trifida ſupradicta fieri poteſt, ſub ſiccis caſu) multum adfinitatis cum exemplaribus Saxifr. n. 988. nunc decerptis, habita et facie roſularum habent Hallerus autem minus bene cum hac ſua n 985. conjunxit Segnieri Saxifr. fol. in orbem circumactis &c. Veron. II. tab. V. f. 3 quae omnino ab Halleriana planta differt, ut exemplaria collata docent. Interim idem lapſus optimi Halleri effecit, ut Cel de Wulfen Miſcell Auſtr Vol II p 137. amplam refutationem Halleri, de natura hujus plantae Hallerianae, quam erronea pro eadem cum Segueriana planta fol circumactis &c Ver III tab V. f. 3. accepit, ſcripſerit, cum Halleri planta n 985 longe differat a vera Segnierii Vol. III &c plantula Tantum viſus ipſorum exemplarium docernit.

s) *Saxifraga oppoſitifolia* L.

Digitized by Google

cujus iconem Hallerus dedit ibid. tab. XV. t) Vallis ipſa per ſubſidentiam terrarum formata videtur, quae altiora petroſa montis reliquerunt; haec igitur praeruptiſſima evaſerunt et terra fertilis in planam vallem deſcedit.

Reditum ulteriorem paro trans lacum eodem navigio, non obſtante vento ſeptentrionali, quem adeo reformidant Helveti Lauſannenſes, Sabaudi vero minus curare videntur.

Ab eo tempore partim brevibus exſpatiationibus circa urbem tempus feſelli, partim curae ſanitatis Sereniſſimae Principis diſtrictus, donec ad

d. 24. Aug. iter in Alpes Sabaudiae altiores meditatum exſequi potui. Viam ingredior eo die per amoenam Lacus Lemani orientalem ripam verſus oppidum *Vevay* aut *Vivis* Helvetis, ubi ad ſilvas opaciores *Calamintha* iterum, ad vineas apricas aſt humidiores *Carpeſium* Linn. u) aliquoties occurrit ſummo mane proficiſcenti. Ultra hunc pergenti, et latum amnis, e montibus adjacentibus delabentis, alveum trajicienti occurrit *Hippophae* v) et *Lyſimachia ſ. Epilobium alp. anguſtifol.* w) inter ſaxa copioſe creſcentes. Ripis Lacus contermina via peragro *St. Sophorin* et varias plagas, quae tamen parum notabilis objiciunt. Pranſus in pago *Villeneuve*, per prata amoena paluſtria, ubi Rhodanus Lacum intrat, cujus tamen introitus e via non conſpicitur, migro, in quibus ad foſſas ſunt copioſa *Conyza Aſteris flore* x), *Thelypteris non ramoſa* Ruppii y), et aliae vulgatiores, v. g. in ſepibus *Clematis ſcandens* z), ad muros *Baccharis* a) et *Chamaedrys offic.* b). Montes inter hunc pagum et *Roche* eadem omni-

t) *Vicia ſylvatica* Linn.
u) *Carpeſium cernuum* L.
v) *Hippophaë Rhamnoides* L.
w) *Epilobium anguſtifolium* L. β
x) *Inula dyſenterica* L.
y) *Polypodium Thelypteris* L.
z) *Clematis Vitalba* L.
a) *Conyza ſquarroſa* L.
b) *Teucrium Chamaedrys* L.

omnino ſtrata lapidum gerunt, quae in monte Sabaudiae e regione poſito *Minſe* inveneram, quin et miratus ſum, me ſub lapidibus calcariis eorumque ſtratis, proxime ad viam et ad horizontis planum idem ſtratum ſchiſti rubri ſitum inveniſſe, quod in jam dicto monte proxime ad verticem repereram, omnibus modis ita concordans, ut illud ab hoc abruptum et ad ſumma ſub montis inverſione elatum, minime dubitare potuerim, praecipue cum locum in monte fere oppoſitum habuerim et oculis explorare potuerim. Vallis non valde ampla eſt, in qua *Roche* ſitum habet, et totus ille tractus, a Roche usque ad *Bex* et ultra, dirutus et divulſus videtur, ut infra pluribus occurret. In hoc pagulo a Praefecto loci, Nobili de Tſcharner, (in iſto intervallo adrepens ad ſcopulos, ad ſiniſtram invenio non ſolum *Scorzoneram fol. linearibus anguſtiſſimis c)*, et *Quinquefolium album majus d)*,) multa humanitate accepimus ſchedulam pro impetrando introitu in Salinarias fodinas et officinas. Interea viſito amoeniſſime locatam ſolitudinem, arboribus in ordinem plantatis pratisque fertilibus circumdatam, et poſtea attingimus officinam marmorariam, in qua duabus ſerris ſimul junctis, multo compendio et ad rivum ſatis parvum, tabulae marmoreae ſecantur, et ad varia opera adaptantur, v. g. menſas, et columnaria caminorum &c. quibus formam dant poſt ſectionem arena ſolida granulis aſperis, quam *Grex* vocant et Genevae petunt, poliunt vero noſtro more rubro Anglicano et Smiride. Marmorum genera pleraque ex conſiniibus montibus depromuntur, ex gryſeo et rubro, aut rubro et flavo mixtis, vel totis gryſeis aut nigris; reliquiae Pectinitarum in iis paſſim repeririuntur. Pro Voltario tabulae variae elaborabantur. Pervenimus trajiciendo amoenam ſitu *Aquilegiam*, ubi vallis amplatur, et aliam a ſiniſtra ex Alpibus Bernenſibus accipit, usque ad pagum conſpicuum *Bex*, cui Salinae adjacent ad ſiniſtram in valle peculiari, ultra vero ex utroque latere vallem, per quam Rhodanus pagum praeterlabitur, definit mons a ſiniſtra accedentium, pago fere imminens, *Dent de Morcle* vocatus, et alter

c) Hall. hiſt. n. 12. *Scorzonera laciniata* L.

d) *Fragaria* Hall. helv. n. 1123. *Potentilla caulescens* L.

alter ex oppoſito ſitus et quaſi reclinato ſitu recedens, *Dent de Mi'cy* vocatus, qui extimus angulus eſt catenae montium, in Sabaudiam continem et Valleſiae latus dextrum, altius locatum, pergentis. Plurimum notabilis eſt duorum horum montium configuratio. In vertice nempe montis *Dent de Morcle* ex reliqua lapidum maſſa exſtat et ultra baſin multum prominet rupes ingens, adſpectu jam, hinc enormis molis, ſi propius inſpiceretur, quadratae aliquantum irregularis formae, ita ut valli fere impendeat, et dum oculus convertitur ad dextram usque ad plagam infra verticem montis *Dent de Mi'cy* ſitam, reperiet ibi excavationem, formae rupis e regione ex monte exſtantis perfecte reſpondentem, adeo ut quilibet haec videns ſtatim reperiat, montem utrumque olim cohaeſiſſe, violenter vero disruptum, et dextrorſum quaſi reclinatum aliquantisper eſſe. Neque tempus, neque inſtituti ratio permiſit, ut cominus ea perquirere potuerim, ſiquidem Dent de Morcle admodum difficilis eſt adſcenſu a pago latere per breviorem aliquam viam; oppoſitus vero mons admodum altus, et in vertice nive adhuc aliquantum tectus, quae me nimis morata fuiſſent. Ingreſſus tamen ſum viam iſtam ad aliquod ſpatium, eniſus etiam ultra medium, ubi occurrit etiam elegans *Saxifraga* ab Hallero deſcripta, *foliis orbiculatis caulinis* &c. Hiſt. n. 981. *e*), et in deſcenſu *Ciſtus Fumana* Linn. *f*). Pro

e) Haec ab Auctore prima deſcripta, et forma ſatis a congeneribus diſcrepans, multo magis mereretur nomen *Saxifragae ſedifoliae* aut *ſedoidis*, quam ea, quam Linnaeus ita vocavit, et quae eſt *Saxifraga fol. [illegible]* Seguiero Veroneſ. quae certe in caulibus et reliquo habitu nihil fere de Sedi forma poſſidet, haec vero Halleriana, foliis imbricatis, etiam in caule denſe poſitis, eorumque forma obovata vel ſubrotunda, et craſſa, multo magis Sedi ideam excitare poteſt.

Sax. biflorum continet Allioni Fl. Pedem.

f) Foliis ſpinuloſis diſtinguitur aeque bene, quam faſciculoſis, a *Ciſto laevipede* Linn. qui glabra folia, ſed pedunculos et calices piloſos gerit, cum *Fumanae* calix ſpinulas raras ſaltem monſtret et maturus undoſe deflexos calices, qui *laevipedi* L. ſtrictos deflexi ſunt &c. Quod Seguier. Veron. I. p. 442. n. 4. indocet Helianthemum, ex fide exemplarium a Moreano, ejus diſcipulo, miſſorum pertinet ad Ciſtum *Fumanam* L. non ad *laevipedem*, ut Synonyma indicarent. Spinulas enim, ut iſte, in margine gerit, nec glaber eſt.

Pro ſumma probabilitate tamen adſumere poſſem, totam hanc vallem diruptam et praecipue utrumque hunc montem olim cohaeſiſſe g) In medio circiter montis *Dent de Morcle* praeceps latus occupat ſylvula abiegna, in qua interdum occurrunt *Tetraones Bonaſiae* L. quos incolae Faiſans h) nominant, et Damae etiam, ſed rarius. Mons Dent de Midy usque ad medium etiam arbores monſtrat, ultra nudus, uterque colore lapidum, forte calcariorum, rubeſcente praeditus Veſpera ingruens plura hoc die non permiſit.

Ad d 25 Aug multo mane ex pago egreſſi adverſus amnem *Avençon* montoſa adſcendere incipimus, quae, exceptis vulgatioribus herbis, nihil notabilis obtulerunt praeter *Herminum haſtatum* ſ. *Colum Jovis* i), flore luteo ſuperbiens, et *Stachyn alpinam* Linn. quae fruteta incolit k), per anguſtas et umbroſas paſſim ſemitas, ubi mox dicta planta praecipue occurrit. Tandem ad atrium fodioarum accedimus, aux *Fondemens* ſitarum Coniculos adimus, ſulphuris odore quidem moleſtos, ſed operoſiſſime partim per Schiſtum nigrum, partim per petram, mixtam gypſo et argilla et vitreſcibili materia, *roc gris* ab accolis vocatam, actos, cujus deſcriptiones ab aliis, v. g. Ill. Hallero, ſeparato ſcripto exhibitas repetere nolo. Magnam cuniculi

g) Forſitan aliquis violentus terrae motus a ſeptentrione et oriente procedens hanc regionem usque ad Alpes ſic inclinavit et vulneravit.

h) Phaſianos quoque eſſe perhibet Ill. Buffon in Hiſt. nat. forte relatione ſeductus

i) *Salvia glutinoſa* L

k) Caulem rectum, quadrangulum, verſus medium tamen ex alis foliorum aliquot, ramulos floriferos reddit. Folia inferiora et media Hallerus Hiſt. p 113. bene deſcribit, glandulas cum excernenculo oriuntur in paginas ſupina denticulorum, quas cartilagineas vocat Linnaeus, non notat, quae in pagina prona non videntur. Folia ſuprema floralia dentes deponunt. Verdcilli ſaepe decemflori, vel pauciorum florum. Inter calices ponuntur bracteae 2 ligulae lineares vel lineari lanceatae, hirſutae aeque ut calix et tota planta pilis albis quidem, ſed ſuſcum colorem totius plantae non obtundentibus. Calices fere campanulati, laciniis acute ariſtatis, florum galea fere erecta, leniter ſinus. In dorſo galeae et infra labii inferioris principium extus pili locantur Color intus floris totius ex fuſco purpuraſcit.

niculi le Fondement partem emenſus, mirabar exactitudinem menſurae, quam tenuerint foſſores ex alto deſcendentes, et cuniculi tractum usque ad 45 pedum altitudinem perforantes, ut deſcenſus in illum pateat. Magiſter fodinarum, D. *de Reverea*, me praecipue adduxit ad profunda, in quibus venae ſalis foſſilis et gypſi, ſchiſto nigro fiſſili interpoſitae, e profundis emergere, nec absque fructu in imis adhuc exquirendae videntur. Vbi aquarum ſubdialium ad cuniculos liberior acceſſus eſt, prope machinas, ibi *Petra ſpatoſa*, quae cum aqua forti efferveſcit, variegata ex nigro et albo zonata ſuccreſcit, et ad contignationes ligneas, non longa ab hinc reparandas, *Byſſus albiſſima* tenerrima, ſt. *Byſſus* 11ma Dill. l) parietes obducit. Dono etiam obtulit non ſolum da venis ſalis ipſius, varii coloris, v. g. rufeſcantis lamellati, ac albi ſemperlucentis cryſtalliſati et varia alia, ſed et de *minera ſulphuris* vivi elegantiſſima, coloris flavi cryſtallina, in ſpatho albo et argilla caeruleſcente haerentia, item *Gypſum albiſſimum* &c. Supra has ſalinas ſitus eſt Mons *Enzeindaz*, in quo *Trochili* et *Strombuli* petrificati occurrunt. Peragro quoque vallem, cui transverſim inaedificatae ſunt domus, pro concentranda aqua ſalina ſtructae, et video venam ſalis ad ſiniſtram montis per rivum ad dextram cuniculorum prorepentem. Redimus per oppoſitam cuniculi aperturam circa meridiem, et breviori via redeunti occurrit ad muros intergerinos agrorum plurimus *Natrix* m) laete florens, et *Ononis* ab Hallero Hiſt. Helv. n) deſcripta.

Poſt meridiem ex pago ulterius moventes per vallam anguſtam, montibus praeruptiſſimis, praeſertim ad ſiniſtram, clauſam, qui ex meris petris rubeſcentibus et variegatis marmoreis calcariisque conſtant, tandem emergimus ad pontem, unico arcu vaſtiſſimo et ſimili lapide ſtructum, qui ad oppidum *St. Mauritii*, ſ. clauſtra Valaſiae ducit; hunc transgreſſi pergimus inter muros oppidi, in quibus haeſit *Hieracium* Hall. Hiſt. Helv. o) deſcriptum, partim adhuc florens. Paullo poſt vallis paullo ampliatur, utrim-

l) Mich. gen. p. 211. n. 16. t. 90. fig.

m) *Ononis Natrix* L.

n) *Ononis* Hall. hiſt. n. 359? *Ed.*

o) *Crepis* Hall. hiſt. n. 29. *foetida* L.

F

utrimque tamen montibus praeruptiſſimis calcariis, inſtar muri erectis, clauſa, in quibus ad dextram eſt Sacellum aliquod Eremitae ſ. alius uſus, quod praetermitto. Poſtea anguſtatur vallis, praeruptis calcariis rufeſcentibus et verſicoloribus ſemper montibus ſtructa, et tamen laetior facies terrae adeſt, vias *Abſinthium vulgare* comitatur, et *Eſula platyphylla*, prope pagum *Eau noire*, (dictus, ut credo, ob ſitum,) torrens magnus per foramen ſubrotundum, cui aliud minus oblique ſuperjacet, reliquum abs que dubio a priſtino ejus exitu, praecipitatur in vallem, barritu et ſono bombili, unde *Piſſevache* vocatur. In confiniis ejus et circa fiſſuram aliam, per hiatum montium praecipitium non ſemper calcariorum, ſed vitreſcibili mixtorum, (ſicut ex petris delapſis et copioſe diſcumbentibus, magnae interdum molis, cognovi, ſed quae curatius rimari nequivi,) inſtar fornicis patentem, per quam amnis *Trient* vallem accedit, et, ut referebatur, viam defraudatoribus ſublicium periculoſiſſimam uncis ferreis ſuſtentatam praebet, non ſolum *Hippophae* L. baccas maturas monſtravit, ſed et *Alyſſum* Hall. Helv. Hiſt. n. 491. et Barrelieri capſulas maturas habuit. Poſtea et in tota reliqua valle *Alnus incana* p) fruteta efficit, usque dum ſtrata ubique commodiſſima via, nocte etſi provecta, pervenimus *Octodurum ſ. Martinach*, ubi parum commode pernoctamus, de viae ductore in poſterum diem ſoliciti.

Hunc naſti ad d. 26. ejusd. multo mane iterum pergimus, trajicientes amnem *la Drance*, et pagum adjacentem *le Bourg* vel *le Bathie*, adſcendimus ad altiora, relinquentes ad ſiniſtram viam regiam, quae ad montem *St. Bernhardi* ducit, per ſemitam ad montem *Furculam*, ut viae ductor *Furcla*, alii *Forclaz* vocant, qui eo in loco ex oppoſito quaſi claudit Valleſiam, cum monte *Furca* orientem verſus inchoatam. Ultra caſas aliquas, circa quas Alabaſtri albiſſimi fruſta occurrunt, nos comitantur *Larices excelſae*, et inter ſaxa primo *Pentaphyllum incilum* q), dein *Acetoſa* foliis *ſubrotundo-haſtatis* r), dein parca quantitate *Pentaphyllum pennatum* album

p) *Betula Alnus incana* L.

q) *Potentilla rupeſtris* L.

r) *Lapathum* Hall. Hiſt. n. 1597. *Rumex ſcutatus* L.

album s), *Phalangium non ramoſum t)* et *Anthericum alpinum u)* et *Centaurea phrygia* Linn. Emergimus inter Larices ſemper ad ſuprema montis, in quibus praeter *Actaea ſere magna*, et alia quaedam in humilioribus alpinis frequentia parum fuit. Totus mons lapide calcario, lutoſa terra tecto, ſtruitur. Viator in ſummis hujus montis Furculae conſtitutus, delectabitur laetabundo proſpectu, dummodo retroſpicit in regionem, ex qua emerſit. Ipſi etenim retroverſo objicitur vallis, quam Rhodanus emetitur, Valeſiaca, ab eo quidem proſpectu non valde lata, tamen eo amoenior. Ab utroque latere, praeſertim ſiniſtro, altiſſimi montes, qui cum monte, Diableret, ni fallor, vocato incipiunt, et per ſeriem tot cacuminum diverſa facie eleganter variegatam, continuant, Gemmium, Jungferhorn, Schreckhorn, et plures ejus ſeriei montes, coelo fere minantes viſui objiciunt; ex altero latere, dextro tempe, montibus ſylvoſis ſuperbiunt; ad pedes utrorumque plurimae villae, oppida, et inter haec Sedunum, emergunt, mediam vallem Rhodani velnees aquae, nunc quiete ad ſenſum defluentes et ſerpentino ductu tot prata agros et paſcua irrigantes, mediantibus rivis in alveum communem Rhodani receptis, fili lati argentei in modum pannum tot coloribus coruſcantem et variantem viſui proponunt, qui demum monte Furca ejusque nivoſis cacuminibus a ſiniſtris, et a medio et dextris immanibus Gotthardi molibus glacialibus terminatur et definitur ita ut abhinc facillimus ad aetherem et coelum adſcenſus paratus crederetur, ſi incumbentes nubes retro haec cacumina in oculum incurrunt. Ita quidem nitidiſſimam a ſummo artifice ſtructam et in immenſum variatam picturam regionum tot leucas in longum et altum emetientem, uno oculi ictu, quaſi per cameram obſcuram, complectendi parem ſe videt. Mihi quidem, qui olim ſcaturigines Rhodani et eadem ab altero apice videram, immenſam voluptatem procuravit. Deſcendere incipimus per anguſta anfractuoſa, per quae occurrit *Hieracium villoſum* Hall

s) *Fragaria* Hall hiſt. n 1127 *Potentilla rupeſtris* L.

t) *Anthericum Liliago* L.

u) *A calyculatum* L.

n. 44 pareat, ubi vero deſcenſus vergit verſus pagulum *Trient*, in gramineſis frutetis praecipue notandus venit *Carduus perſonatae capitulo* v), et *Carduus*, qui erit *Cirſium* Hall hiſt n. 164 et forte *nigrum* J. B., quem Hallerus ad Carduum virore braſſicae adhuc refert w), etſi diverſus ſit colore plantae et angulis foliorum inerſis, ſicut et pappo. Ad vallem penetrantes, in qua dextrorſum paries praeruptus, et in illo *Schiſtus* ex rufo cinereus emicat inter montes calcarios, occurrit inter ſaxa rivulum cingentia *Hieracium* iſtud *foliis linearibus* Hall hiſt. n. 48 x) quod colore floris ſulphureo primum ſuperbit, ſiccatum vero cito viridefcit aut nigreſcit. Divertimus paullo ad eaſam pagi exigui, templo tamen inſtructi, et circa iſtum invenio tam *Lapathum alpinum* *)?, ſed foliis lanceolatis, quam *Acetoſam ari folio* y), rariorem inventu, ſed hic aliquot pedes altam. Refecti lacte et ceraſis acidis, poſt meridiem continuamus viam ad vallem *Tête noire*, tranſgreſſi mox amnem, lapidibus volutatis, coagmentatis plenum, *Trient*. Via eſt ad ſiniſtram montis praecipitis et ſaxoſi, utique horrenda, ubi petrae et arbores immenſae capiti viatoris ſemper imminent. Interea dum per viam iſtam ſalebroſam Tête noire migraremus, locus aliquis occurrit, ubi petrarum magna tabulate per gradus quaſi locantur. Ego herbas

v) *Arctium Perſonata* L.

w) In Enumerat. Helv prius, ſed in Hiſtoria Helv. paullo aliter ſenſit, et nomen adductum omittit, alia vero nomina congrua huic relinquit.

x) *Hieracium* Hall. hiſt n. 48. et Jacquini *Hieracium porrifolium* Fl Vindob. 1 6 inter ſe aliquantum diſcrepare videntur Halleri enim planta non niſi rariſſime unum et forte alterum folium in medio caule monſtrat, reliqua radicalia ſunt, linearia, vix medium caulem longitudine attingunt, pallidioris coloris, dentatulae rariſſimae. Summus caulis et quae ſquamae lineares ſub calice gerit, et una cum illis villo breviſſimo, quaſi farinoſo, conſperguntur Calix itidem piloſus, albicans ideo, et flore una cum calice magnus fatis. Corollae ſulphureae, ſiccitate vireſcentes cum violaceo colore, aut nigreſcentes Caulis rariſſime ramos habet. Jacquini planta in foliis quidem ſatis accedit, ſed in icone folia multa caulina ſunt altera, caulis in meo ſpecimine ramoſus glaber et calix glaber, qui minor videtur Halleriano An haec tanti?

*) Ex ſpecimine imperfecto potius *Rumex obtuſifolius* L. eſſe videtur *Adn. Edit*

y) *Lapathum* Hall Hiſt. n. 1598. *Rumex Acetoſa* L. 5

bas disquirens et decerpens, hic praecipue equum habena duxi, unus vero sociorum equo ſuo generoſo confiſus, manſit eques intetim dum equus in iſtas tabulatis deſcendendis greſſum firmare nequiret, et caderet, eques cadens, totam tibiam ejusque ſpinam illidendo in petras graviter laeſit, ſatis felix, quod praeceps in enorme praecipitium cadere evitaverat. Multa moleſtia, quod reliquum fuit viae, emenſus eſt, ego vero plerisque adminiculis deſtitutus, herbas vulnerarias, v. g. Geranium Robertianum, Saniculam, Pyrolam piſtillo recto, et illam fol. ſerratis ſ. ſecundam, Veronicasque inveniens, earumque copiam mecum ſumens, poſt acceſſum ad diverſorium pagi Chamouny ſatis commodum, vino incoxi pro epithemate, quod per totam noctem iteratum, laeſum ejusque membrum vulneratum ita reſtituit, ut altero mane equo ſuo vectus, Genevam per breviſſimam viam petere valuerit, dum nos reliqui ad viſendas moles glaciales nos adcingimus. Dum paullo emergimus ad apertiorem aliquem locum graminoſum, *Pulſatilla alba* z), etſi jam ſemina ferens, occurrit, et proſpectus patet ad dextram ad pagulum aliquem, viatoris patriam, (qui multum eo adſpectu, etſi nobis perquam lugubri, laetatus eſt,) et ad montes vallesque profundas, quas rivi, ad amnem Trient properantes, dividunt. Pergimus ſemper ad latus medii montis ad ſiniſtram, per cautes et triſtes ſolitudines umbroſas, quae tamen nobis obtulerunt *Virgam auream ſ. Solidaginem latifoliam* Hall. hiſt. n. 64. a), ſed quae parva differentia, nempe foliis breviter latis, a congenere b) differre videtur, vix ſatis pro diſtinctione; *Hypnum criſpum* L. ex cautibus capiti imminentibus copioſe pendens et *Jungermannias* varias. Ad rivulum ex alto delabentem fuit *Bryum criſpum* Hall. c) florens, et *Hypnum incanum* d) in petris ſiccioribus parum florens, in aliis petris ſiccis arenoſo calcariis *Sedum rubrum ſtellatum* e)

 copio-

z) *Anemone alpina* L.

a) *Senecio nemorenſis* L. (Exemplaria, quae praeſto ſunt, etſi ſatis latifolia, ad *Solidaginem ſaracenicam* Hall. hiſt. n. 65. potius referenda ſunt. *Adn. Edit.*)

b) *Senecio ſaracenicus* L.

c) *Bryum tortuoſum* L. Hall. hiſt. n. 1787. t. 45. f. 2.

d) *Bryum hypnoides* L.

e) *Sedum atratum* L.

copioſum fuit, ſed jam defloruerat, *Lichen ſylvaticus fuſcus*, Dill. n. 10. *f*) et *Byſſus laete flava g*), ubique etiam circa portam Valleſiae, per quam aditus eſt in Sabaudiam, eſt *Saponaria alpina* Hall. *h*), et *Pyrola floribus ſecundis i*), et illa *piſtillo recto k*), et dum rivum tranſimus, in petris arenoſo fiſſilibus fuit *Sempervivum*, majori communi penitus ſimile ſtructura foliorum, caulium viſcoſorum, et numero petalorum floribusque apertis, ſed coloris ex albo vireſcentis et ſtaturae minoris, Lobelii *myrtifolium*, ut videtur, a majori nullatenus diverſum, ut analyſi didici *l*). Hucusque ad latus montis ſiniſtrum verſati ſumus, qui vallem anguſtam, in qua Schiſtus gryſeus arenoſus paſſim eminet, claudit, per cujus medium torrens alpinus cum ſonitu magno delabitur et probabiliter amni Trient miſcetur, montesque ſimiles ex oppoſito habet, ſimilis fere ut videbatur ſtructurae, per quos aliquot locis cataractae delabuntur, ab excelſioribus cacuminibus eleganti ſpectaculo ad vallem ſeſe dejicientes. Fruteta excipiunt nos, in quibus tam *Campanula* illa, quae in itinere ad Lac de Joux et Mimſe mihi occurrit, nempe *rhombifolia* L. et eadem *urticae fol. m*), utraque flore albo interdum ludens, occurrit, donec attingimus agros aliquos ſecali conſitos et graminoſa propinque, ad quorum margines copioſa fuit *Myrrhis* quae mihi *Breckenbergenſis n*) videbatur, jam ſemine foeta ubique. Attingimus poſtea pagulum *Valorſine*, quem relinquentes poſt nos, tendimus ad vallem triſtiſſimam, quam undique cautes et petrae durae albidae diſperſae tegunt, et per quam fluit rivus, *Eau noire* dictus, a colore alvei, qui ſchiſto nigro paullo intra hunc locum componitur; e longinquo patet proſpectus ad culmina nivoſa Montis *Buet*, ad dextram fere viae ſiti, referente ductore, ad cujus ripas in irriguis copioſiſſima fuit *Saxifraga ſedulum* Geſneri *luteum ciliatum o*), laetiſſime florens et procerum. Ad

f) Hall. hiſt. n. 1987. *Lichen ſylvaticus* L.

g) *Byſſus candelaris* L.

h) *Saponaria Ocymoides* L.

i) *Pyrola ſecunda* L.

k) *Pyrola minor* L.

l) Jacquinus pingit idem pro *Sempervivo globifero* t. 40. in appendice operis ſui.

m) *Campanula Trachelium* L.

n) Eſt certe *Chaerophyllum aureum* L. *Adn. Ed.*

o) *Saxifraga* Hall. hiſt. n. 971. var. β.

Google

Ad petras et lapides fuit *Lichen* Dill. n. 129. f. *polyphyllus* Lightfoot Fl. Sc. et *Lichenis* Dill. n. 131. f. *papilloſi* L. juniores plantae, et minutus, et ultra *Ranunculus alpinus uniflorus luteus calice hirſuto* p), in graminoſis, *Saxifraga* quoque *fol. crenatis* in petris, et alia alpina magis vulgaria. Deſcendere demum incipimus ad pagulum *Argentière*, infra quem moles glacialis inſignis e ſuperioribus montis deſcendit, caverna portis fornicatis ſtructa, in valle deſinens, ad vias ibi occurrit de novo *Hippophae* et *Tamaris germanica* laete florens, paſſim jam ſemina monſtrans. Veſpera ingruente pervenimus ad *Chamouny*, pagum ſatis amplum, ubi pernoctamus.

Vallis amoena eſt, non valde lata, excelſis montibus utrimque clauſa, ab una parte monte *Brevene* altiſſimo, ab altera monte *Montanvert* paullo humiliore, amne *Arve* per medium diviſa, in cujus planitie pariter ac adclivibus, tam prata fertilia quam agri annona conſiti deprehenduntur, in collibus et ad latera montium *Alnus incana*, quam incolae *Verne* vocant, *Fraxinus* et *Caſtanea* habitant. Montium baſes ubi nudae ſunt, ſchiſto rubeſcente partim, partim cinereo conſtant, quibus calcareae petrae paſſim immutantur.

Altero mane d. 26. Aug. viſitaturi moles glaciales ducem viae habuimus aliquem *Paccard* nomine, qui opitulante Comite de Caylus, cui Rupicapros ex ſummis cacuminibus captos vivos adduxerat, in patriam Sabaudiam redeundi veniam acceperat, ex qua profugus fuerat, quia Mandrino, famoſo illi defraudatori vectigalium, ſe viae ducem per avia praebuerat. Per planitiem inter agros et alneta ſupra dicta migramus infra pagum, amnem per ponticulum transgredimur, et in propinquitate quarundam caſarum per prata adſcenſum paramus, in quibus copioſa fuit *Campanula barbata* Linn. f. *foliis echii* C. B., partim albo partim aqueo partim caeruleo flore ludens, haec excipiunt ſylvae abiegnae ſteriles, et paſſim, ubi

p) Illi ſimilis, qui in noſtris ſylvis occurrit, villoſo aconiti fol. ſl. luteo, ſeu *Bulboſo* L. Calix hirſutus fuit, ſed receptaculum non potui diſtinguere, quod villoſum fuerit, adeoque vix *Ranunculus Breynianus* Cranzii, ſtatura etiam altior fuit

ubi glaciei propiores ſunt, dirutae a molibus lapidum delapſorum, latum alveum rivi, de ſummo ex glacie altiori delabentis, ibi efformantium, per quos et diſcumbentes cautes non absque magna moleſtia ad molem glacialem, *Boſſon* vocatam, adpropinquamus. Haec praecipiti magis curſu aut ſitu, a ſummis culminibus montis glacialis defluxa aut protruſa magis cernitur, et muros munimenti altiſſimi ab omni latere monſtrat, cui impoſitae cernuntur moles glaciales ſolidiſſimae, conos, columnas, obeliſcos, turres dirutas, et alias formas praefigurantes. A ſiniſtro latere aditus patet in medio circiter molis, ut in ea ambulari poſſit. Trajicimus eam partem 14. minutis horae. A dextro latere rupes immenſae eam claudunt, inter quas una eſt excelſiſſima, ex qua, ut viator retulit, proſpectus liber et forte etiam aditus, quem nemo mortalium hucusque tentavit, in lacum glacialem et montem album ipſum patet. Rupicaprae eam molem ſitus frequentare dicuntur. Revertimur poſt meridiem, et adſcenſum in montem *Brevane* paramus, in quem adſcendendo occurrit et *Aſtrantia alpina* q), et *Abſinthium Genipi* Hall hiſt. 126., cum autem pluviae montem tegere inciperent, et pernoctandum fuiſſet in ipſo monte, antequam in ſummo emergi potuerit, recedimus ad diverſorium, ne vero dies laberetur absque fructu, cumque in valle pluvia parcior eſſet, tandemque diſpareret, properamus ad aliam molem glacialem, *de Bois* vocatam. Transſcendimus pontem ſuper amnem *Arve* ſtructum, et adimus vallem ad dextram, in qua procedentibus ſylvamque abiegnam emenſis objicitur amnis *Arveron*, ex mole iſta glaciali oriundus. Moles nempe excelſa, muri inſtar erecta, ex ſummo lacu glaciali per vallem, montibus *Montanvert* et aliis usque ad *Aiguille de Dru* pertingenti et *Aiguille de Tré-la-porte* vocato, ac mole glaciali propius imminenti, delatam deſcendit, et infra duobus locis fornicibus finitur, ex quibus ſingulis potens vis aquae prorumpit, et ſcaturigines amnis Arveron conſtituit. Fornix ad ſiniſtram praecipue elegans tunc fuit, triplicatis arcubus, colorem coeleſtem reflectentibus, ſtructa, et intus aqua repleta, ita ut aditum negaret. Dum attentis oculis ſpectamus, in petram granitoſam repende emergentem, vidi fiſſuram in fornicis parte antica incipientem, ex

q) *Aſtrantia minor* L.

Google

ex qua caſus iſtius partis immediate ſequi ſolet. Hoc videns, iſti oculi retraho ſocium unice intentum his miraculis, cumque illo periculo ſepulturae ſub glacie liberavi. Circa iſtam molem, et alveum amnis perquam latum, diſcumbunt petrae et cautes maximae, ex ſummis cacuminibus montium delapſae, Granito albo compoſitae, partim nigris lamellis et maculis majoribus, partim minoribus Sterilis nitidi (Schoerl) conſperſo, et Spatho fuſibili tam aquei, quam ſtraminei fere coloris mixto, quem Helveti *Geiſsberger* vocant. Tota vallis pars moli proxima ſolum arenoſum ſteriliſſimum monſtrat, ex arena quarzoſa alba conſtans, quae ex comminutis vi aquae et glaciei lapidibus ortum traxit, in qua nihil aliud quam *Hypnum sericeum*, florens tamen tunc, *Lichen paſchalis* Linn. et *Lichenis Islandici utraque varietas* Dilleniana et *alius ſimilis*, *Coralloides fruticuli ſpecie* &c. Dill. n. 31. creſcere potuit. Triſtem, attamen inſolita forma allicientem vallem relinquentes, ad prata ut pluries adhuc invenimus *Myrrhidem Brockenbergenſem*, ubique vero ſemina ferentem. Paullo ſupra pontem ſupradictum amnis *Arveron* unitur amni *Arve*.

Altero ſummo mane d. 27. Aug. iter in montem *Montanvert* paramus. Per arva et agros laete conſitos adſcenditur ad ſylvoſa montis, per anguſtam ſemitam, periculo paſſim non vacantem, in quo, plerumque ſub abietum vetuſtarum aut etiam corrutarum umbra, mihi occurrit *Saxifraga foliis dentatis rotundis fl. non guttato r)*, et ſuper lapides fiſſiles, arenaceo-micaceos, qui cornei vocari ſolent, quibus maxima baſeos pars ſtruitur, *Lichen foliaceus fuſcus* Dill. muſc. n. 100. *ſylvaticus* Linn. Altius emergenti occurrit ad adclivia praecipitia in vallem montis *Achillea pinnis ultimis foliorum confluentibus* Hall. hiſt. n. 115. *s)*, ſatis copioſe, et *Pyrethrum pinnatifolium t)*. Sub frutetis fuit *Selago major* Dill. *u)* Viterius adſcendendo tandem

r) *Saxifraga cuneifolia* L.

s) *Achillea macrophylla* L.

t) Hall. hiſt. n. 97? Folia vero caulina ſimplicia plerumque fuerunt linearia, radicalia ex principio tenuiore integro lateſcentia, ubi pinnas 5. l. 7. lineares projiciunt. Interim a *Parthenio* Hall. n. 96. quod *Chryſan-*

tandem attingo caſulam alpinam lapidibus meris ſtructam, *Chateau Montanvert* per jocum dictam, in qua Dnus de Sauſſure aliquoties pernoctavit. Tota circum iſtam regio, et culmen montis, petris graniti albi cum ſpatho fuſibili, mica et ſteriſi lamelloſo ſtruitur, inter quas aliquae ſunt ex rubro flaveſcentes, quas auriferas perhibent, quales quoque in Sibiria et in monte piniſero occurrunt, et vere per lotionem, praegreſſa trituratione, auri lamellas vel ſabulum reddunt, ſiquidem amnis *Arveron* bracteolas ejus metalli projicit. Supra iſtam caſam, in cacumine fere montis, occurrit *Euphraſia*, vix articulum digiti aequans, flore toto flavo *v*), item *Rapunculus alpinus graminifolius* admodum parvus *w*), et aliqua gramina. Cum ob glabritiem praecipitem ſummi cacuminis ulterius prorepere nequirem, retrogredienti usque ad ſemitam, per quam ad lacum glacialem aditus quaeritur, obvium fuit paullo humilius verſus vallem glacialem *Rhododendron* fol. ferrugineis in pagina averſa *x*), *Pinus* etiam *Cembra* ad praecipitia eſt, proxime ad glaciem. Lacum glacialem ex hoc loco contemplari liberrimum eſt. Vallis eſt ſpatioſa, tota glacie repleta, cujus unus ramus a monte albo deſcendit, et ramum poſt Montanvert projicit usque ad molem *Boſſon*, hic vero ſe effundit in vallem, inter conum montis *Montanvert*, *Mont Mallet*, *Aiguille de Drû*, et *Charmoz*, et alia cacumina interceptam, et quae poſt Aiguille de Drû circumit ad molem glacialem *Argentière* et ultra, ut poſtea videbimus. Tota glacies colliculos facit, per quorum medium lata taenia procurrebat tunc argillae caeruleſcentis, poſt *Aiguille de Drû* incipientis et fere ad terminos montis, in quo ſumus, procurrentis. Haec ſigna argillae ſequuntur cryſtalli foſſores, quae cryptas cryſtallorum indicare ſolet, ut communis vidi, argilla eſt caeruleſcens taleoſa. Eſt ſemita praeceps per ſchiſtoſa ſtrata rubeſcentia et nigricantia ad ipſam glaciem, quae verſus inferiora glaciei proxima in

putrem

ſenſibrerum alpinum L. quod ad exemplaria parum differt: ſinubus ſubdiviſis ſoliis ra- dicalibus et caulinorum, ſimilis habitus. Calix ſi utrinque ater nervo et marginibus.

u) *Lycopodium Selago* L.

v) *Euphraſia officinalis* L. var. Hall. hiſt. n. 9eg. II.

w) *Phyteuma hemiſphaericum* L.

x) *Rhododendrum ferrugineum* L.

Digitized by Google

putrem terram corroduntur. Nolo morari deſcriptione monticulorum glacialium, unicum noto, quod probat totam molem et vallem glacialem mobilem eſſe, petra enim, in glacialem lacum delapſa, intra ſex ſeptimanas ad 18 pedes circiter deorſum mota eſt cum toto lacu, qui igitur ſenſim a premente vi e ſummis incipiente deorſum promovetur, et fines ejus in valle ſemper funduntur. Hinc non abs ratione concluditur, totum lacum glacialem infra natare ſupra aquam defluentem ex fuſione glaciei ortam, adeoque a glacie, ex ſuperioribus montium inferiora verſus gravitante, deprimi et promoveri. Actio follis hydroſtatici cuncta haec phaenomena explicare videtur, in quo minima aquae columna, late tamen diffuſa, maximam molem incumbentem elevat. Margines enim glaciei parietibus montis non arcte cohaerent. Aliud phaenomenon, quod alias ſaepius in alpibus ſummis vidi, hic quoque occurrit. Subito nempe ex praecipiti aliquo pariete montis et cacuminis alicujus, ſereno caeterum coelo, vapor adſcendere incipit abſque data cauſſa adparente, fumi inſtar in aerem tranſiens et demum in altiora avolans. Quae hujus ſit ratio, ulterius diſquirenda erit. An enim vapores ex aere colligantur ibi, aut, quod magis vero ſimile et obſervationi oculari magis conſentaneum, potius efferveſcentia quaedam interior hos vapores expellat? Ex ſummo fere dorſi latere montis ſ. coni *Aiguille de Dru*, rivus ad perpendiculum fere occidit in vallem ſubjectam glacie repletam, hinc concluditur, ibi nivem et glaciem fundi, et ſpatium eſſe ibi, etſi coni compreſſi inſtar adpareat mons ob ſummam altitudinem. Color coni hujus ex rubro et cinereo et nigro variegatus adparet, quod tamen graniteae ſubſtantiae ſit, vero ſimillimum eſt, etſi cominus conſpici nequeat. Conus *Charmoz* infra ſchiſtoſus, ſupra ad cacumina graniticus adparet. Siquidem praeceps paries acceſſum non permittit, et ipſa glacies impedit, quin propius ad baſin adpropinquari poſſit, facile enim dimidium horae ab iſto cono diſtat mons *Montanvert*, et ſpatium interjectum lacus glacialis, non tuto calcandus replet. Deſcenſum paramus, ſatis obſervatis cunctis, per ſemitam aeque et magis fere praecipitem, ubi in Pinubus occurrit *Lichen ramoſus ſulphurei coloris*

leris y), et ubi graminoſa quaedam occurrunt, reperitur *Mutellina z)*, ſed nondum penitus florens, et ubi ſumma praecipitia pedum dubium per ſalebroſam ſemitam, lapidibus, partim arenoſis, partim ſchiſtoſa argilla ligatis conſperſam, deorſum ducunt, *Pyrethrum* ſupra dictum, copioſius adhuc eſt, et aliquoties etiam *Achillea fol. pinna ultima confluente a)* ut ſupra notavi.

Toto illo tempore, quo adſcendimus et retrocedimus, magni fragores ſemper audiuntur, qui orti ſunt ex caſu, per intervalla facto, columnarum et conorum glacialium in vallem, quae ſonos repetit. Proxime ad pagum *de Bois* vallem attingimus, et redimus veſpera ingruente ad Chamuny.

Plebs monticola, plerumque egens, quoties pane caret, in ſylvas praedatum quaſi abit, et, nulla habita ratione temporis commodi aut maturitatis, Pinum aut Abietem caedit tantae molis, quantam jumenta bina vel terna trahere valent, quod multa ſaepe aeſtate vidi. Dubitare nequit, quin iſta licentia ſylvas valde depraedetur. Truncos iſtos in oppido vendere ſolent, pro foco alendo, (incommodo iſto et diſpendioſo hypocauſta calefaciendi modo,) et ex pecunia adepta panem coemunt, pro alenda familia, reiteratum ſimile flagitium, quoties egent. Magiſtratus lenitate ſolita connivens, aliquoties praedatori ignoſcit, ſi vero ſaepius peccare pergit, vaſtatorem in carceres deduci jubet, ut redire nequeat. Uxor deſolata et pane carens, iſta autumans, altero die una cum liberis in oppidum migrat, petens, ut marito in carceribus adſocietur, ſecura, hoc modo integram familiam a fame tutam fore, quo tamen plerumque impetrare ſolet, ut cum ſuis domum dimittatur. Maritus igitur proxima occaſione, qua pane caret, idem facinus impune perpetraturus eſt.

Singulare eſt, quam tenaces ſint ejusmodi homines libertatis, ut jumenta quoque ſua jugo non ſubjiciant, ne forte libertati naturali co-

tum

y) *Usnea capillacea citrina fruticuli ſpecie. Dill. muſc.* p. 73. n. 16. tab. 13. *Lichen vulpinus* L. Sabaudi fruticulum conterunt, eoque pro [illegible] utuntur.

z) *Phellandrium Mutellina* L.

a) *Achillea macrophylla* L.

Digitized by Google

rum officiant, ſed loro aut fune circa pectus ducti boves carris adligent, unde maxima roboris parte carent.

Boves monticolarum, ſicut et vaccae, quae in alpes ducuntur, corpore exiguo eſſe ſolent. Vidi vero boves in vallibus conterminis educatos, enormis molis, quales olim circa Tigurum et in confinibus pagis videram.

Altero die d. 26. Aug. reditum paramus. Lubentiſſime ad montem St. Bernhardi viſendum profecti eſſemus, id autem tridui ſpatium abſumſiſſet ob ſitus rationem, etſi paucis leucis ſaltem abeſſet, tota enim vallis, in qua verſabamur, circumeunda, et alia diſſita petenda fuiſſet. Cum igitur res circumſtantes longiorem abſentiam non ferrent, breviorem, diverſum tamen reditum inſtruimus, contra amnem nempe Arve, ad cujus ripas erant *Epilobium alp. anguſtifolium*, vere diverſum a noſtro, (vid Faſcicul Geſn. II.) et iterum *Tamarix germanica*, adſcendimus in vallem anguſtam, ad dextram vallis Valloriſne ſitam, praeterimus molem glacialem Argentiere, et in valle dicta arcta, Secali tamen conſitos agros paſſim habente, adverſus amnis curſum tendimus, ad pagulum *Maren* ſemper adſcendentes. Ad graminoſum aggerem fuit *Hieracium fol. haſtatis* Hall Hiſt. n 39 *gerevenſe*. Viam continuamus ad altiora, attamen laeta ſatis prata, meſſem autem jam experta, usque ad ſimilem pagulum *De Tour*. Pagulus is ad radicem molis glacialis ſitus eſt, qui ramus eſſe videtur lacus glacialis, poſt conum Aiguille de Drû circumeuntis et hinc non ſolum, ſed et illam Argentiere et plures, uti videbimus, projicientis. Supra pagulum vallis, adeo excelſa, ut arbores non amplius ibi occurrant, clauditur monte, quem mox adimus. Incolae circa nos aggregati vinum vile, quod ſemper reſpuo, et panem nigerrimum, lapidis inſtar durum, offerunt cum caſeo vili. Paullum requieſcentes montem undum praealtum *Saranillon*, alias *Chamillon*, conſcendimus per ſemitam anguſtiſſimam, quam praeter vaccas et quosdam vectigalium defraudatores nemo facile calcat. *Taraxacum* ibi fuit *alpinum* pedunculis et calicibus mox hirſutis mox glabris; an igitur vere diverſum

ſit, disquirendum a); et *Taraxacum flore aureo* Hall. hiſt. n. 57. b) Altius ſemper emergendo, copioſum eſſe incipit *Rhododendron fol. infra ferrugineis punctatis* c), et *Vaccinium fol. albicantibus* d), fructum ferens, inter quae copioſa fuit *Gentiana rubra*, flore punctis, non lineis, ſaturate ſanguineis aut fuſcis notato e), de qua vide Geſn. Faſcic. II. Semper altiora petentes ſimilibus inviis locis, ad uliginoſa pervenimus, ob rivos ex ſummis nivibus defluentes, in quibus periculum fuit, quin cum equo ſubmergerer. Plurimus ibi fuit *Juncus nigricantibus capitulis ſparſis* f). Ex his me ſubducens ad margines rivorum lego *Carduum polycephalon* g) ab Hallero pictum, magna copia ibi praeſentem, et in petris conterminis, *Lichen aduſtum* h) L., cujus ſupina facies tuberculata eſſe ſolet, et is quem Dillenius pingit fungulis nigerrimis reticulatis Hiſt. muſc. n. 116. ſeu *crinitus* Lightfoot fl. ſcot. i). Vltra pergenti ſemper ad altiora, in humidis tamen humo tectis, et petras ſubjacentes occultantibus, copioſum occurrit *Eriophorum alpinum minus* Scheuchz. prodr. k), et *Porrum ſectile* l), jucundo purpureo colore ſuperbiens et procerum. Tandem ad ſumma emergentibus undique in circumjacentia liber proſpectus eſt. Retro oculos vertentibus objicitur *Mont Allion* cornu duobus, uno altiori adhuc altero, in coelum adſcendentibus, et omnia circumjacentia longiſſime ſuperantibus. Aliquando nives in illo ceciderunt et quaſi circa illum agitatae ſunt, mox coelo ſereno reddito alba capita rurſus effert, circa quae tamen paullo poſt nubeculae ex vaporibus adſcendentibus coacervantur, mox in reliquum aereum aequor abiturae. Coni iſti, quos ex monte Montanvert conſpexeramus, coelo quaſi minantes, nempe *Aiguille de Dru*, *Montmallet* et reliqui, ex hoc loco acervuli et colles, ac veluti pyramides parvae

vide

a) *Picris* Hall. Hiſt. n. 27. (vel potius n. 28. β. *Adnot. Edit.*)

b) *Leontodon aureum* L.

c) *Rhododendron ferrugineum* L.

d) *Vaccinium uliginoſum* L.

e) *Gentiana purpurea* L.

f) *Juncus* Hall. hiſt. n. 1326.

g) *Carduus ſpinoſiſſimus* L.

h) *Umbilicaria exaſperata* Hoffm. lich. 1. p. 7. t. 2. f. 1. *Adn. Edit.*

i) *Lichen proboſcideus* L.

k) *Eriophorum alpinum* L.

l) *Allium Schoenopraſum* L.

videbantur, circa maximam molem aliquam ornamenti cauſſa circumpoſitae, et prae iſtis conis toroſis et coloſſis quaſi pyramidalibus evaneſcentes. Ad utrumque latus regionis, in qua ſubſtiteramus, altiſſimi muri montium praeruptiſſimorum, ad perpendiculum ſectorum graniticorum locati erant, quorum illi ad dextram ad vallem *Entremont* et Montis St. *Bernardi* catenam, ad ſiniſtram ad *Col de Balme* et illum tractum pertinebant, cujus peragraveramus extimam partem et humiliorem in via *Tete noire* et *Valorſine*. Ante nos pars alpium Valeſiacarum meridionalium ad *Val de Bagnes*, et porro ulterius ad Valeſiae eam partem, quae Gotthardo et Furca clauditur, pertinentium. Facies comitibus ſtupenda et horrenda, mihi quidem non adeo inſolens, ſed admiratione tamen digna. Satiati proſpectu pergimus ad montem *Serbaſtre*, vel *Herbaſtre* ut Hallerus ſcribit, neque altum et nudum adhuc, elegantiſſimis herbulis me exhilarantem. Fuit ibi *Gentiana nivalis* L. plerumque humillima, vix articulum digiti alta, tamen ramoſa, interdum uniflora. Fuit etiam, ſed rarior, *Gentiana alpina* bavaricae congener ſi non eadem *m*), *Scme acaulis*, *Lepidium Halleri* Crantzii *n*) *pinnatis fol.* quae plantula, etſi ubique in alpibus occurrere dicatur ab Hallero, tamen ob parvitatem ſaepe praevidetur, et, ubi paullo deſcendere incipimus *Gnaphalium alpinum minimum* Hall. *o*), *Campanula* inter *ceniſiam* et *alpinam rotundifolium* media, *Viola lutea fol. auriculatis p*), et *Saxifraga foliolum* Geſner. *fl. luteo maculis croceis et rubris*, perquam humilis *q*). Deſcendentibus per ſemitam periculoſiſſimam, per montem ſylva abiegna conſitam *Bois de Moment* vocatum, occurrit *Gnaphalium alpinum*, ab Oedero, ni fallor, pictum *r*), et pergentibus in vallem, occurrit *Gentiana*, major

m) *Gentiana bavarica* L.

n) *Lepidium alpinum* L.

o) *Gnaphalium ſupinum* L.

p) *Viola* Hall. hiſt. n. 569. var.

q) *Saxifraga* Hall. hiſt. n. 971. var. β.

r) Tab. 254. Aut ſpecie diverſum a *Gnaphalio ſylvatico* Linn. Sp. p. 1200 aut notabilis varietas eſt. Concurrit quidem ſtructura ſlorum, exteriorum femineorum, interiorum androgynorum paucorum, colore et ſtructura calicum; ſed differt ſpica florum ſupremum caulis occupante, compactiore unciali bunciali, infra quidem foliis parvis diſtincta, ſuper

major lutea florens, et *Phaca frigida* L. Hall. hiſt. n. 403 *Myrrhis* ſupra notata et *Lichen infra hirſutus niger ſuperne cinereus* r), in petra calcarea dura, ſed rarus. Accedimus demum iterum pagum *Trient*, in cujus confinia paullo altius exſpatiatus ſupra pagum, qua euro meridiem reſpicit, molem glacialem inſignem vidi, quae retro cum lacu iſto magno glaciali cohaerere debet vigore ſitus, quae igitur quintus ſuit exitus iſtius lacus in his regionibus, et plures forte ſunt inter hosce muros montium, quos ſupra tetigi. *Aretia* iſta *mei folio* ſponte occurrit iterum, et in hortulo hoſpitis *Leviſticum offic.* Iterum refecti paullo alpinas plagas relinquere paramus, et eadem via properato curſu *Octodurum* intramus, ibidem pernoctaturi. Abhinc

D. 29. recedentes multo mane petrae calcariae impoſitum caſtellum, olim ab Epiſcopo Valleſiae, ut dicitur, relictum, et dirutam modo turrim, aliquos etiam muros adhuc monſtrans, praetereundo, eadem via recedimus, in qua praeter *Hippophaës* baccas maturas et *Alni incanae* flores nihil notabile inveni. Sera veſpera *Lauſannam* intramus, et ad abitum mox vaſa colligimus.

Antequam autem has plagas relinquo, quaedam circa ſitum et mutationes horum locorum attingo. Lauſanna in declivi mitium montium ſita

ſuperne fere nuda, praecipue vero foliis malis longioribus, ex lanceato linearibus, non ſenſim in caulis modo decreſcentibus, ut in ſylvatico mos eſt, ſed potius longitudine creſcentibus, donec infra ſpicam non ſenſim quaſi, ſed ſimul decreſcant, adeo ut intra ſpicae inferiora petala florum demum parva folia, ut in ſylvatico reperientur, infima folia caulis, quae in ſylvatico majora ſunt reliquis caulinis, in hoc parva linearia et marceſcentia ſunt, corrugata pleromque. Tandem etiam caulis, qui in ſylvatico primo reclinatus, dein erectus, vel penitus erectus eſt, in hoc ab inferioribus verſus ſuperiora ſurſum, ſ. horſum verſum flexus eſt, quare pro diverſo haberi, et forte *Gnaphalium anceps* dici poterit.

Num Hall. hiſt. helv. p. 65. n. 148. in nota, hanc plantam voluerit, non ſatis liquet.

r) Eſt *polyrrhizos* Linn. et Dill. muſc. n. 132. ſed abſque nodulis ſ. fungulis, ſolum aliquot puncta nigricantia in ſupina facie monſtrans, unde vix cum illo L. commiſcendus videtur.

ſita eſt. Ad meridiem lacum habet ad ſemihorae diſtantiam diffuſum, qui ibi arcum facit ſeu ſegmentum circuli, cujus praecipuum crus Rhodani introitum reſpicit, quare ex ſitu omnium hucusque peragratarum regionum non abſque veri ſimilitudine concluderem, plurimas devaſtationes circa haec loca accidiſſe. Valeſia forte olim aquis ſubmerſa fuit, ex eadem aquas per rupturas montium exitum inveniſſe, perquam probabile eſt illi, qui conſiderat praeruptos iſtos montes, qui circa *St. Maurice* praecipue, et forte jam circa *Piſſevache* incipiunt, per *Bex* et *Roche* continuant, at tandem inverſis quaſi et revolutis in latus meridionale montibus Sabaudicis, *Meniſe* et *Auche* &c. in apertiorem plagam expanſi ſunt. Videantur ea, quae ſupra dixi de montibus *Dent de Morcle* et *Dent de Midy*, et *ſtratis montis Meniſe*. Montis Dent de Midy ſitus etiam ita reclinatus eſt, ac ſi poſt illum fundamenta receſſiſſent, et impoſitus mons ſubſidere retrorſum coactus fuiſſet, notabiliter enim a perpendiculari linea recedit, in quam aliquantum impendet mons Dent de Morcle. Simile exemplum conſpici poteſt in montis Fiuſteri parte, Loosbürg vocata, in qua ſtrata montium granitoſorum ita reclinata ſunt, ut gradus ſcalae mentiantur infra poſito viatori, etſi petrae immenſae ſint. Inde etiam factum eſt, ut montes Sabaudiae oppoſitae omnes adeo praerupti ſint, ut pecudes noctu condi debeant, ne caſu praecipites dentur in valles ſubjectas. Maximum autem fuiſſe aquarum impetum in plagam circiter inter *St. Sephorin* et *Lauſannam*, in hunc usque diem patet, ſiquidem ibi maxima pars ripae praerupta eſt, praecipue a pago Ouchy occidentem verſus. Hinc etiam fieri potuit, ut aliqua montium pars, ex altioribus aquae impetu depulſa, circa confinia Lauſannae ſubſederit. A Lauſanna enim ſeptentrionem verſus, montes et colles, qui *Jurae* partes et rami ſunt, calcarii ſunt, media pars iſtorum montium Marga argilloſa paſſim fiſſili conſtat, praeſertim orientem verſus, (dum calcarii verſus occaſum ulterius deſcendunt,) ſub his magis minusve profunde locantur petrae arenariae, caeruleſcentes partim et duriſſimae, quae in lapides quadratos aut parallelepipeda caeduntur pro aedificiis, et in diſſita loca navibus quoque transferuntur. Ejusmodi lapicidinae ſunt ſupra portam Bernenſem usque verſus pagum Ouchy. Mons

etiam ſupra arcem Lauſannenſem poſitus, aliquot valleculis anguſtis ſcinditur, per quas rivi decidunt, ad quorum latera, praecipue occidentem et meridiem verſus, qua urbem reſpicit, lapides aggregati, ex variis portionibus concreti, et petrae ſimiles occurrunt, etſi forte colorum ignobiliorum, quos *Breccias* Itali, Helvetii Nagelfluh, neſcio qua ratione vocant. Similes ejusmodi lapides, recenter, ut videbatur, concretos, reperi ad ripas lacus inter *Morges* et vineas *Dni de Montmollin*. Inde fere concluderetur, aquas olim usque ad hunc montem pertingere, et Breccias formare potuiſſe. Medium oppidum dividit vallis, cui pars oppidi inaedificata eſt, quae vero extra portam St. François nuda apparet, et collem illum dirimit a reliquis altioribus montoſis, cui imponitur non ſolum ambulacrum *Montpenon*, ſed et vineae et domus civium, qui ſclopetis ſe exercent, et qui verſus lacum declivis ſit et finitur. In hujus collis interioribus, quae inter ambulandum, ubi detecta ſunt, vidi, petrae varii generis occurrunt. Sunt nempe petrae granitoſis maxime accedentes, intermixtis partibus, ut videtur, ſchiſti nigri, ſi Sterile (Schoerl) non eſt. Inter vineas occurrunt ſimiles petrae vitreſcibiles, Mica nigra rigida per zonas varias. Occurrunt etiam petrae ex lapide vitreſcibili et argillaceo per ſtrias intermixta mica compoſitae. Sunt et aliae nigrae, calcariae marmoreae indolis, ſpatho tenerrime perfuſae, et quae hujus rei forte plura ſunt, curioſiori ſcrutatori occurrentia, ſi majori tempore et cura inquirere poteſt, quam ego collocare potui. Magna igitur haec varietas non obſcure monſtrat, hunc collem aquarum vi adpoſitum ſaltem eſſe. Interim tamen non ſolo hoc loco aquas evaſiſſe, vero ſimile eſt, ſed etiam per alios hiatus, quorum aliquos praeceps latus ſiniſtrum montis Furcula, et iſti montes praecipites, quos antea in itinere per Serhaſiere &c. videram, monſtrant, erumpere potuiſſe; naturalis enim terrae figuratio vix praecipitia gignit, ſed vis illata quaedam *r*)

In illis etiam omnibus locis verum non deprehenditur axioma Cl. Bourgetii, quod et aliis exemplis convellere poſſem, angulos montium exſilien-

r) *Alios hiatus absque dubio invenient, qui Valeſiae partem, praecipue meridiem ſpectantem, viſitabunt.*

Google

ſibentes reſpondere ubique angulis montium lateris oppoſiti excisſis ſeu retrocedentibus, contra quam theſin plura in noſtris quoque regionibus adferri poſſent exempla.

Mare autem in his locis olim fuiſſe, fere ex hoc phaenomeno concluderem, quod in monte *Enzeindaz* petrificata reperiantur, et quidem Strombi, qui alias ripas marium frequentare ſolent. Alia quoque locis petrificata in alpibus reperiri, Scheuchzerus pluribus locis teſtatur, et ego quoque Cornu Ammonis, in montibus *vallis Haſlae* reperto probare poſſum. Grunerus etiam in deſcriptione montium glacialium aliqua adducit.

Die demum 5ta Septembris Lauſannae valedicentes *Genevam* verſus movemus, iter ad ripas fere lacus per amoeniſſimas terras continuantes. Ad lacum pluribus locis copioſa fuit *Iberis latifolia* u), ad vias, quas etiam in regionibus ad Rhenum inferiorem copioſa eſt, *Tunica calice angulato* (quem campanulatum vocat Hallerus) et alius *Dianthus* flore magno roſeo, circa *Rolle* praeſertim, quem impedivit ſocietas, cum qua eram, quin colligerem v). *Blattaria* ad vias etiam copioſa eſt, *luteo flore* w), et *Dianthus hirſutus* x) ad ſepes, inter caeteras herbas vulgatiores. Eadem veſpera intramus *Genevam*.

D. 7. et 8. mane apud Dnum de Voltaire Ferneyae tranſigimus, opipare a ſene adhuc pro aetatis ratione vegeto excepti. Hos dies perdidi, nihil videns, quod potuiſſet oblectare animum, niſi forte fuerit pertica in horto erecta, pro conducendis et avertendis fulminibus, quorum unum etiam in terram prope perticam aliquando delapſum eſt.

Octava diei poſtmeridianae hora, at nonus totus eo magis me exhilararunt, quo magis adhuc cum voluptate revoco in mentem, quantum delecta-

H 2

u) *Lepidium Iberis* L.

v) *Fuit, ut poſtea cognovi, Dianthus* ſ. *Caryophyllus* Segu. Veron. I. p. 435. T. VII.

w) *Verbaſcum Blattaria* L.

x) *Dianthus Armeria* L.

lectatus fuerim ex adloquio non ſolum, ſed et ex contemplatione theſauri naturalium rerum Dni *de Sauſſure*, viri, tam comitate, quam eruditione praecellentis. Sunt in domo ſpatioſa ejus machinae, tam pretioſae, quam elegantes, vires electricas mirum in modum multiplicantes, inter alias una quoque praegrandis, per quam in globo vitreo leni tritum phaenomenon *Aurorae borealis* penitus ſimile producit, viſu admodum delectabile. Sunt apud eum notabiles collectiones rerum naturalium, inter quas praecipue placuerunt *Neurophylla* maxima anglica in ſchiſto (qualia, et ex mente Walchii Cereos imitantia, quae ſane non ſunt, ſed, ſi quid unquam forte, caules *Filicis arboreſcentis* Plumerii eſſe poſſunt, opus Knorii exhibet,) *Minerae ferri* variae ex *Inſula Ilva*, *Cupri rubri* ſubnudi et ſolidi minerae ex *Sabaudia* et *Pedemontio*. *Achates* intus cavi et guttulas aquae comprehendentes, veri *Enhydri*, aliique Silices elegantes, quos ex Italia nuperrime redux attulerat, unde et *Oſſa Elephantum* inter *Florentiam* et *Romam* effoſſa fuere, ab ipſo condita, et Tophus albiſſimus, qui per artem ad icunculas et ſtatuas ſemielevatas effingendas, aut potius efformandas, noviſſime adhibetur. Pinnas petrificatas craſſiſſimas ex Anglia una cum Trilobitis attulerat, quarum iſtae ex meris ſtriis, ſpathum calcarium aut Gypſum ſtratum imitantibus, intus compoſitae ſunt, quod omnino, ut ipſe expertus ſum, omnium Pinnarum peculiaris quaſi proprietas eſt, ut teſtas ita ſtruant.

D. 10 Sept. Viſitavi collectionem ſane elegantem et divitem *Dni de Luc*, qui una cum fratre, nunc apud Anglos degente, tam in Anglia, quam praecipue in Pedemontio cumulum petrificatorum operoſiſſime ſibi comparaverat, et quidem de ſingulis ſpeciebus exemplaria numeroſa, plerumque optime ſervata, inter quae potiſſimum placuerunt Tubuli marini magni ad pedem et ultra et ampli a Rumphio picti, et Oſtrea polyleptogynglima craſſa et margaritacea adhuc, Oſtren Winckelhaak Belgis adfinia Echinum quoque inter plures alios ſervat, cui aculei adhuc paſſim inhaerent et inter eos aliqui clavati ſunt, inferiori parti adhaerentes, cretae incluſum, ex Anglia.

D. 11

Digitized by Google

Dıer. Paullum exſpatiatus invenio *Erucam* laciniis foliorum variis ludentem in muris urbis, et in praedio, quod extra urbem Dnus *de Hennin*, Legatus Regis Galliae ad rempublicam, poſſidet, hortum non plantis ſolum pluribus elegantibus exoticis, iuſtructum v. g. *Perilla*, *Ricotia* (quas jam ipſe colueram) ſed et plurimas plantas alpinas, v. g. *Ononis* Hall. Hiſt. n. 357. y) quam antea in Alpibus videram et *Saxifragas* varias et *Aretias*, etiam altiorum alpium, nutrientem, vidi ea ratione, ut plantae alpinae in loco ad ſeptentrionem verſo et in ſolo nigerrimo humidiuſculo plantarentur, atque ſic laete germinent et floreant. Pharmacopoeus etiam urbis, Dnus   monſtravit mihi portionem unam pedis dimidium circiter explentem, alteram ultra pedem longam et pollicem vel ultra paſſim latam, quam virgo pro obſeſſa habita, et quae propter hyſterica et convulſa fuerat, per anum excreverat. Dnus Tiſſot eam maſſam pro polypo habuit, vulgus pro ſerpente. Curatiſſime a me examinata diſtincte videbam, eſſe concretam pituitam, quae tenacis muci ex cinereoalbidi inſtar inteſtina obduxerat, et per exhibitum purgans fortius, aliquoties repetitum, tandem exturbata fuerat. Diſtinctiſſime etiam per lentem vidi, quomodo, ectypus quaſi plicarum inteſtinalium, et foveae villorum ibi praeſentium in pituita iſta ſeſe expreſſerunt.

Genova de caetero, ſicuti in ipſa urbe divitiae regnant et commoda ac per quam frequentata ambulacra et nitidae domus, ita quoque ambientium locorum amoenitate plurimum placere poteſt. Lacus magnam partem urbis proxime tangit, ad auſtro-occidentem, ut credoſm, mons *Saleve*, in quo Rajus, et ante eum Pennejus herbas collegerunt, nunc homicidiis viatorum infamis, lato vertice ſeſe expandens. Ad Auſtro-orientem proſpectus patet in Montem album, cujus culmina nivoſa circumjacentes altas Alpes collium inſtar poſt et infra ſe relinquunt, veſperaſcente die, ut ſolent nivoſae Alpes, roſeo colore ſuperbiens, ut et in vallem totam fere, per quam in iſtum montem itur ab urbe hac Colles, et ipſa montis Jurae juga, partim ad ſeptentrionem, partim ad

 occa-

y) *Ononis rotundifolia* L.

occaſum ponuntur, et humilioribus iſtis amoeniſſimae, quin et ſumtuoſae villae, inaedificatae ſunt.

Incolas Genevenſes ex variis gentibus concreviſſe diceres. Viſu fere diſtinguuntur ſtatim inquilini, praecipue Helveticae originis, qui Germanis, et praecipue Bernenſibus, ſtatura procera, habitu corporis eleganti vix cedunt, vel maxime adpropinquant. Qui ex Sabaudia accedunt, proceri, robuſti, crinibus longis ſtrictis nigris ſeſe offerunt, Itali vero macilentiores, ſubfuſcae cutis, et crinibus in cirros curvatis diſtingui poſſunt. Ita fere etiam mores.

D. 12. Sept. Geneva exivimus. Non longe ab urbe ad aggeres aridos ſuit *Andropogon digitatum* z), et paullo poſt ad dumeta *Dianthus ſuperbus*, ſicuti ad foſſas humidiores *Pulegium aſſic.* a). *Blattaria* etiam ad vias eſt et *Creph aſpera ſ. Cichorium luteum antiquorum* b), *Centaurea Calcitrapa* etiam ſicuti per totam fere Vaudenſium terram frequens, ita quoque hic et per totam viam usque ad *Lugdunum* nos non deſerit. Adſcendimus ſenſim ad juga mitiora Jurae, per quae via nos ducit per marmoreos et calcareos montes, ad quos *Jacobaea artemiſiae folia* c) Ruppi frequens eſt et *Ciſtus Helianthemum*, usque ad pagum *Coulanges*, ubi telonium requiritur a mercatoribus, reliqui peregrinatores liberatius tractantur, et fortalitium ſ. Clauſtrum *L'Ecluſe*, ad cujus ſiniſtram, quae etiam montium ſerie ad Delphinatum procurrentium munitur, Rhodanus per petras incumbentes ad aliquam diſtantiam occultatur. Pergit via per montes, quos quidem nocte ingruenta pervaſtigare nequivi. Proſpectus patet ad ſiniſtram in ſubjectas valles amoeniſſimus, interjectis Caſtellis dirutis varius. Praeceps tamen via, ſed ſecura. Mons *Credo* calcarius, ut proba di ſlinxi, et via per totum iter ſtrata ampla commodiſſima eſt, adeo ut duos equos (4 vecti ſumus) dimittere potuerimus, donec media nocte pervenimus ad pagum *St. Germain de Joux*, in quo aliquas horas requieſcimus.

D. 13.

z) *Andropogon Iſchaemum* L.
a) *Mentha Pulegium* L.
b) *Picris hieracioides* L.
c) *Senecio erucifolius* L.

D. 13 Sept. multo mane iter renovamus, et intramus vallem, cujus initia colles calcarios lapidibus ſtructos monſtrant, plurima *Buxo* undique veſtitos, odore graves. Continuantibus viam vallis anguſtatur, utrimque petris praecipitibus calcariis praeſepta, et in medio lacum ſatis longum, non valde latum vero monſtrans, et ita formata, ut diceres, eam videns, terram hic ſubſediſſe, et praecipitia iſta feciſſe. Ad rupes iſtas aliquoties fuit *Iberis amara* Linn. ramoſiſſima et lignoſa, quaſi fruteſcens, cum circa Tigurum et aliis in locis humilem admodum ſimplicem et molliorem invenerim. Vallem excipit planities ſat ſpatioſa, et agris pratisque fertilibus bene culta, in quibus ad rivos opacos et vias non rarus fuit *Carduus acanthoides* Ruppii, omnino diverſus a *Carduo acanthoide* Linn. et adſeclarum; et viam ſemper ſequimur, ſtupendo labore hic et porro usque in planiorem Galliam ſtratam et porrectam. Paullo poſt, nobis fere non opinantibus, deſcendere incipimus per praecipitea ad latus ſiniſtrum ſatisque altos montes calcarios, quibus valles interjectae, et in oppoſito latere variae arces, montibus impoſitae cernuntur. Pergimus adhuc per aliquam *Delphinatus* partem, donec *Civitatem Franciae* attingimus, ſenſim ex Jurae montis appendicibus recedimus, et via ad latus collium argillaceorum et margaceorum continuatur, ad quos *Paſtinaca ſylveſtris* admodum alta fuit, an vere diverſa? Planiori plagae tandem immoratis, *Heliotropium album* d) ad vias occurrit, *Euphorbia platyphyllae* ſimillima, ſed tota hirſuta, et *Hypericum vulgare* ſed omnibus partibus, excepto flore, macilentius et minus, ob ſicciorem plagam, quae viatoris admirationem eo magis ad ſe trahit, qui ex irrigua undique Helvetia hanc regionem intrat. Ad muros pagorum albue eſt *Sedum craſſifolium album* e). Ad latera viarum vero frequentiſſima eſt *Jacobaea latifolia*, huic paſſim intermiſcetur *Scrophularia Rutae fol.* f) ad ſicciora vero *Chondrilla viminea* g) et *Dianthus calice angulato* h). In agris viae adjacentibus *Panicum majus* i) et *Mays* k) copioſe colitur. Circa

d) *Heliotropium europaeum* L.
e) *Sedum daſyphyllum* L.
f) *Scrophularia canina* L.
g) *Chondrilla juncea* L.
h) *Gypſophila Saxifraga* L.
i) *Panicum Italicum* L.
k) *Zea Mays* L.

Circa *St Denys* occurrit *Lychnis dioica alba* et *Malva Alcea* fol. rotundis et laciniatis. Sera demum nocte, ripam dextram Rhodani per montoſa vario modo ſecuti, Lugdunum intramus, urbem populoſam et divitem.

Viſi memorabilibus rebus, in civitate occurrentibus, operis ſerico texendo et acupingendo occupatis, quibus hic excellunt, Bibliothecis, praeſertim numeroſiſſima, a Patribus Soc. Jeſu relicta, ſumtuoſa ſane, et palatio, non domui, incluſa, inſpectis curatius noſodochiis, in quibus praecipue id placuit, lectos omnes ex ferreis virgis confectos et velis coopertos fuiſſe; viſitata etiam aſt veterinaria ſchola, ultra Rhodanum in ſuburbio locata, Theatro anatomico egregio, in quo ſceleta, et angiologica tam quam myologica per Dn. Bordenave praeparata, plurima variorum animalium expoſita ſunt, aeque ac ſpatioſis ſtabulis, horto botanico, his finibus adaptato inſtructa. Lugduni plurima opera publica et privata lapide calcario tam ſordide albo quam luteolo fabricantur. albidus varias conchas et Cornuum Ammonis, luteolus Gryphitum ſimulacra continet. Pons ſuper Rhodanum ſtructus albido iſto conſtat, et in foro publico Place de Louis XIV. plurimae tabulae ejus maximae molis ſervantur, quas operarii in formas varias malleis latis et acutis brevibus adaptant pro aedificiis, caeſae ſunt moles aut forma parallelepipeda, aut forma tabularum, dimidium pedem craſſarum, quatuor et quinque pedum latitudine in quadratum. Luteolus parallelapipeda forma ſaltem occurrit, rocendus fatalis lapis. Lithanthraces navibus ex confiniis advehuntur, quos magna pars artificum at fabrorum ad opera ſua adhibent, ubi ignis requiritur. Sunt quoque lapides arenarii, partim albi, partim ruſi, ex quibus etiam aedificia ſtruuntur inter alia. Coenobium Carthuſianorum, Rhodano et alio Caſtello, *Pierre encise*, circiter oppoſitum. Monti Saone fluvio oppoſito incumbit coenobium virginum Carmelitarum, in cujus templo reperitur inter alia memorabilia altare, lapidibus nobilibus, v. g. Achate, Jaſpide, Chalcedonio et ſimilibus copioſe ornatum, monumentum Familiae Villaregiae dictum &c.

D. 19. Sept. Contemplatus ſum collectionem ſane numeroſam rerum naturalium *Dni de la Tourrette*, Societati regiae ejus ſervitatis ab epiſtolis,

Digitized by Google

lis, plurimis *ſilicibus nigris*, herbarum impreſſionibus eleganter ſignatis, Cardiis et Chamis maximis, lapidibus cocneis, *peſſinum* ſimulacra offerentibus, *peculiaribus aculeis Echinorum* marinorum, *Cornubus Ammonis* optime ſervatis, *Orthoceratitis*, et portionibus Stellarum marinarum ramoſarum *Corallisque* petrificatis, marmoribus refectam ex una parte, ex altera elegantibus *Corallinorum*, *Spongiarum*, praeſertim *nigrae cylindricae*, plerisque ex ipſulis Indiae orientalis, et *Zoophytorum* exemplaribus, *Conchylisque* variis inſtructam, inter quae *Concha exotica* aliquoties fuit, optime ſervata et conſpicuae molis, ſatis numeroſam etiam herbarum ſiccarum copiam continentem. Tentaveram quidem opulentam, ut dicebatur, collectionem Dni de *Montribloa* inſpicere, et praeſertim ipſum illud notabile Zoophyton, quod *Palmier marin* Galli vocarunt, contemplari, voti autem compos fieri nequivi ob abſentiam pactum poſſeſſoris, Pariſiis alus delectis ſenſium detenti, partim eorum omnium, qui eatam theſauri habent.

In muris civitatis et adjacentium locorum plurima fuit *Erucа latifolia* et *eadem anguſtifolia*, et *Parietaria judaica*, eodem modo et ubique per viam, quam poſtea fecimus, occurrens.

D. 22 Sept. Lugdunum relinquimus, inter montoſa ad aliquod tempus iter facientes, ſaxo viteſcibili ex cinereo in fuſcum vergente conſtantis et venis quarzoſis interſincta, ubi ad vias verſus *Pont d'or*, *Echelles* et *Villefranche Calcatrapa* ad vias, et *Ebulus* ad humidiora nos non deſerunt, ſemel etiam in via non longe a Lugduno vidi plantam quam ob feſtinationem decerpere nequivi *l*). Ad vias verſus *Toarnl*, *Eſula* ſ. *Euphorbia paluſtris* copioſa fuit ad civium opacum arboribus conſitum, et in apertioribus *Sinapi ſylveſtre rapi folio m*), quod et apud nos eſt. In agris *Caucalis* ſl. *minore n*) meſſe peracta fere unica fuit, et *Falcaria o*) Riv. et *Bupleurum*

l) Fuit *Carthamus lanatus* Linn. ut poſtea cognovi.

m) *Sinapis nigra* L.

n) Exemplaria quae ibi inveni, folia gerebant *Caucalidi* ſl. et ſemine minore penitus diſſimilia, pinnata quidem, ſed pinnae

rum a falcata vix diverſum, ſed minus, et involucris univerſalibus valde inconſtans. Campi in hac Burgundiae parte aperti ſunt planique, in quibus rariores vineae, agri plurimi occurrunt, omnibus cerealium aliorum ſpeciebus referti, inter quae *Mays* et *Panicum* copioſa erant adhuc virentia. Senſim vero agri rareſcunt, et vineae augentur circa *Chalon*, adhuc magis verſus *Beaune* et *Nuits*, argillaceo partim, paſſim ſchiſtoſo ſolo implantatae, et junioribus fere ſtipitibus unius fere caulis et breviter reſectis conſtantes, ut mos hic eſt, vetuſtos eradicare aut ramos plures ſaltem amputare. Properato hoc curſu attingimus

D 23.

nia lanceolata ſimpliciter plerumque inciſa; involucra quidem etiam reſpondent nempe univerſale aut nullum, aut unifolium aut biſolium parvum, partialia pentaphylla inaequalia, aut etiam defectu unius alterius folioli, flores parvi, exitimi tamen inaequales. Umbellae in infinitum variabant. — Caucalis haec bene quod ad habitum jam deſcribitur a Moriſono Hiſt. III. p. 303. n. 9. cum nota: poſt meſſes in ſtipula ſatis frequens, et per culturam diverſitatem naſci eſſe comperitur. Vocatur ab eodem *Caucalis humilior et ramoſior* Nobis. *Caucalis parvula ſegetum* Goodyeri. — Eſt abſque dubio *Caucalis fol. duplicato pinnatis, pinnis longe circumſcriptis* Hall. Hiſt. p. 325. n. 742. ſecundum deſcriptionem ſolutam, involucrorum et ſeminum quae villoſa dicuntur quidem, ſed nudo oculo ita adparentia, per lentem parvis ſpinulis acutis per longitudinem aſperis, aculeis ob minutum hamoſis, nodulo terminatis ſunt. Ex Jacquini Icone ad! recenſem ſatis plantam, vix quisquam illam agnoſcet, paullo facilius ex iconibus Rivini, quas Hallerus citat, Tab. 33. et 32. praecipue, *Caucalidis procumbentis* et *tenuifoliae*. Haec noſtra media eſt quaſi inter utramque figuram Rivini, ſed caulis infra ſaltem incurvatus, multo vero denſius poſiti ſunt rami, et umbellae etiam denſiores ſunt. Folia quoque magnitudine alter figurantur. Cel. Jacquin Hort. Vol. III. App. tab. 26. *Caucalidem helveticam* vocat, quae neque Helvetiae privatim propria, neque ab Hallero primum inventa eſt, quod ad nomen Moriſono, quod ad iconem potius Rivino tribuenda. Cel. Murray Syſt. Veget. nomen *helveticae* Jacq. retinet, non optimo forte conſilio. Inter Rivinianas unica Fl. 5-pet. irreg. tab. 2. male occurrit *Echinophora ſemine breviter echinato*, quae, quod ad ſemina, huic Caucalidi Hall. Hiſt. n. 742. ſatis quadrat; folia vero apice ſiſſa et pinnis longe confluentibus non penitus accedunt, habitu tamen non repugnant.

e) *Sium Falcaria* L.

Digitized by Google

D. 23. Sept. Divionem (*Dijon*) Sinapis cultura, non praeparatione, celebrem et bene ſtructam, ubi pernoctamus. Nocte impeditus memorabilia circa urbem et in ea perquirere nequivi *p*).

D. 24. inde movemus, planitiem paullo poſt relinquentes, et montoſiora accedentes, in quibus *Cheiri hierarii fol.* *q*), idem cum planta Ruppii, adhuc floruit, frequentior vero, ubi montoſa iterum attingimus, quae verſus *Auxerres* ducunt, et quae paſſim antequam civitatem accederemus, magis vero eam poſt nos relinquentes, ſtrata margae cretaceae albae, magis minusve copioſa in ſe continent. Civitas fere tota calcario lapide albo ſ. Creta indurata *Alabaſtrum* mentiente ſtructa videtur, alba nitida. Pergimus ſemper citato curſu per montes ſatis mites, frutetis et ſylvis obſeſſos, in quibus, antequam verſus oppidum *Sens* perveniremus, ad vias occurrit *Seſeli montanum* Linn., et ſicuti per totam Burgundiam et Campaniam huc usque muri vinearum *Hedera pentaphylla* tecti ſunt. Vineae frequentiſſimae, praeſertim circa *Auxerres*, collibus et montibus ſunt ſuperſtructae, quae *Cretam* induratam vel impuriorem, tamen *albam* in gremio ſub humo gerunt. Inter *Sens* in arenoſis et circa *Fontainebleau* in ſylvis ſunt copioſiſſima *Erica cinerea* Linn. et porro usque ad Lutetiam *Ulex europaeus*, et *Aquifolium* baccas ferens. Lutetiam demum intramus, poſtquam in mox dicta domo regia, regis magnitudinem ſumtuoſo apparatu,

 non

p) Circa Divionem (Dijon) ad vias *Linaria offic.* non infrequens eſt, ſicut in tota iſta regione. Interim in pharmacopolia hujus loci admodum conſpiciens, invenire nequivi unguentum de Linaria, neque Verbaſci oleum, excuſant officinae, has res a medicis hic non poſci.

De *Linaria offic.* pariter ac pluribus hujus generis ſpeciebus quinque ſtamina numerari poſſunt, quorum unum ſterile, reliquis quatuor oppoſitum, a limbo corollae infimo, ex quo omnia oriuntur. Non enim ſolummodo in Linaria offic. in qua ſtamen ſterile veſicula tenera terminatur, ſed et in Linaria Elatine Linn. ſ. fol. haſtatis, in Linaria fol. ſubrotundis, quam Ant. Juſſieum, incongrue titulo, cum frequentior ſit altera fol. haſtatis, nominat, in Linaria arvenſi minima Riv. et aliis congeneribus ſimile ſtamen ſterile reperitur, et forte indicio eſt, hoc genus immerenter cum Antirrhino conjungi.

q) *Cheiranthus eryſimoides* L.

non autem adeo concinna et ad guſtum bonum inſtructa rerum ordinatione, intus in cameris exprimente, viſitaſſemus. Aedificia quaedam domus regiae reparantur lapide arenario perquam venuſto, veroſimiliter ex confinus adducto *r*). Sylva, quam tranſimus, illam relinquentes, pluribus rupibus ad latus viae occurrentibus, aſpera eſt, quas tamen viſitare nequivi.

Nolo aliquid dicere de memorabilibus urbis Pariſinae, volumen enim ſcriberem, ſi cuncta in medium proferre vellem, neque tamen exhaurirem. Sufficiet notaſſe, cum itinerarium ſaltem ſcribam, me quotidie occupatum fuiſſe in viſitandis rebus memorabilibus et inviſendis viris eruditis, quos non ſingulos, ſed integra collegia reperire poteris.

Inter omnia ampla rerum petrificatarum, praeſertim Galliae, quae poſſidet Dnus *Valmont de Bomare*, praecipue placuerunt *Strombi maximi* calcinati, et *Echini* in lapidem corneum verſi, inter Coralia poſſeſſorum gallicarum in Indiis praeſertim *Millepora ſilacea* Braſſicae caput bene imitans.

Immenſam vim mineralium, quorum maxima pars parva exemplaria monſtrat, non immoratus.

Viſitavi etiam, finiente hoc et ineunte ſequente menſe Octobri Hortum regium, celeberrimum, ſpatioſiſſimum, et elegantibus plantis refertiſſimum, inter quas praecipue placuerunt *Salvia coccinea* et variae ex Inſula Borbonia advectae, inter quas *Cleome gigantea* tum florens cum *Volkameria ſpinoſa* &c. Pluries intravi Theſauros Hiſtoriae Naturalis Regios, domo Hortus Regius confini ſervatos, de quibus plura poſtmodum, cum eo tempore plures claſſes, praeſertim mineralis, minus plenae reperirentur. Adfuerunt tamen animalia plura in vitris ſervata, ex Simiarum genere, Inſecta plurima, Marmora Africana et Hiſpanica, praecipue magna vis Co-

r) Pariſiis accepi lapidis hujus exemplaria in cryſtallos, vario modo figuratos, eloque dolio ex concurſu particularum ſpathoſarum formatas, quas D. de Saune Archiater Reginae primus invenerat.

Digitized by Google

rallıorum, Zoophytorum, Spongiarum, et petrificatarum rerum. Iſidis nobilis trunculus cum polypis inhabitantibus &c.

Vt pauca ſaltem excitem de reliquis, perluſtravi picturarum Theſaurum Dni *de Blondel* in *foro Victoriae*, ſane pretioſum et ſelectum praeſertim in operibus minoris formae. Domus militum rude donatorum et curtorum, quorum aliqui organa ex argento fabrefacta geſſerunt, picturas *Bologne ſenioris* et *junioris* egregias in templo, ad normam D. Petri Romani aedificato, continet. Miratus ſum ciſternam, ex qua tota domus potatur, ſub tecto collocatam, et plumbo penitus veſtitam fuiſſe, unde aqua impura et turbida hauritur, abſque dubio etiam noxia. *Domum charitatis* et *Orphanotropheum*, et modos tam curandi aegros, quam educandi infantes, contemplor. Picturas templi *Nôtre Dame*, et alio tempore *Bibliothecam* regiam, et ibi ſervatas *picturas Herbi Regii* et *Avium*, a *Roberto et Sueur* confectas, quarum magna vis lucem nondum vidit, nec forte viſura eſt, favore Dni *Joly* et Abbatis *Capronier* Inſpectorum vidi. Adivi Statuarium celebrem *Pigale*, et vidi *Monumenta* ſplendida, ab ipſo in memoriam *Comitis Mauritii* Saxoniae et Comitis *d'Harcourt* fabrefacta. Apud Virgines Carmelitas inveni ſepulchrum *Hecqueti* medici olim celeberrimi, et inter picturas ibi praecipua placuit Maria Magdalena a *le Brun* ad faciem Ducıſſ. de Valeriere expreſſa, vita Chriſti et Joſephi ſomnium a pictore *Champagne* factum, annunciatio per *Raphaelem*. Miratus ſum columnas ex Marmore aegyptio viridi. Apud Patres Minimos egregias picturas artificis *Van Loo*, St. Bernhardi vitam exprimentes. Alium diem conſumſi in contemplandis numeroſiſſimis picturis artificum praeſertim antiquiorum, quae in *Palatio Ducis Aurelianenſis* ſervantur, in quo Ambulacrum per pictorem *Coypel* ſcite pictum, cujus ſimile eſt in Palatio Ducis de *Penthievre* cum plurimis picturis elegantibus. In *Sorbona*, praeter ſepulcrum Cardinalis Richelii, placuit periſtylium circa altare, ex *Marmore viridi Campano* factum. Apud *St. Thomam* occurrens monumentum Cardinalis *Fleury* bene fabrefactum, ſed humili nimis loco poſitum, inveni. Vidi quoque ſtatuas Delphini defuncti et conjugis ejus fabricari coeptas, et quae plura hujus

 gene

generis ex operibus publicis, omnium oculis expoſitis, conſiderari merentur, nullo die omnino otioſus.

D. 10 Octobris relinquimus Pariſios, et tendimus in Normanniam inferiorem. Via pergit per plana campeſtria, annonae varietate abundantia, et arboribus paſſim per ordines plantatis ubique variantia et diſtincta, donec pervenimus verſus *Magny*, inter quem locum, et illum *Tiliers* vocatum, montoſa ſeu colles prope adparent, qui ſabulo tenero quarzoſo per margam cretaceam *a)* ferruminato ſtruuntur, elegantes Strombos, Tellinas et Coralliola calcinata in ſtratis ſuis continente, donec pervenimus *Rothomagum*, amplam civitatem et populoſam ad Sequanam ſitam. Vallis ampla eſt, utrimque montibus definita, per quam Sequana ſerpendo procurrit. Ipſa civitas ad latus amnis dextrum ſita eſt, ad pedem montium hoc latus munientium. Cum ſera nocte accederemus, eorum fabricam ubique rimari nequivi, enumerabo igitur ea ſaltem, per quae eundo et redeundo iter fecimus.

D. 12 Oct. nempe viam ingredimur ad latus Sequanae dextrum per colles, ex lapide arenario cinereo ſtructos, cui ſparſim lapides cornei impacti fuerunt, aedificiis ſtruendis apto, et expedito. Senſim definunt ſtrata lapidum arenariorum et ſabuli, et in eorum locum ſuccedunt ſtrata argillae margaceae; montes lateris oppoſiti cominus videre nequeo, ſed eodem modo compoſita videbantur. Senſim iterantur ſabuli ſtrata, et tandem definunt, et ſuccedunt ſtrata lapidum corneorum in collibus, creta impuriore, luto mixta, conflatis (intellige ſemper ſub humo ſuperficiem tegente); ſenſim argilla rubra flava ſ. latum augetur, et tandem penitus dominatur, in eo tamen ſtrata lineae horizontali ſatis propinqua lapidum corneorum, rotundorum, oblongorum, nucum formam interdum habentium diſtribuuntur, inter quos *Echini*, *Alcyonia*, *Spongiae* et ſimilia ſparſim occurrunt, et ita continuant, donec deſcendimus longo tractu usque ad civitatem *Dieppe* Normanniae inferioris.

Civi-

a) Quae huc deducta fuit ex meridionalibus plagis, ut poſtea cognovi.

. Civitas eſt ſatis ampla, ſed parum eleganter aedificata, cum inferior domuum pars foroicum formam extus praeſerat, intus vero parum commode adaptata ſit, de caetero ſatis populoſa, ad 40000 incolas, ut ferunt, alens, maximam ad partem piſcatores, nautas, halecis captu occupatos, mercatores ſimili mercatu vitam quaerentes, etſi variae naves in Brittanniam, in Americam et ſeptimos Galliae portus abeant, porro artifices, ebore et oſſibus in varia utenſilia, tum et ſtatuas et res alias artificoſas ſculpendas incumbentes Portus duabus molibus ex lapidibus quadratis ſtructis munitur, aditus vero non facilis eſt Proxime ad ſiniſtram ſ. occaſum harum molium ripa maris planior eſt, cum montes in amphitheatri formam ante urbem ſiniant. Planities iſta, in qua piſcatores retia purgant, naveſque novas conſtruunt, immunditiemque totius civitatis ſepeliunt, plurimis lapidibus, aqua volutatis, plerumque vitreſcibilibus, inter quos Achates multicolores et Chalcedonii occurrunt, referta eſt, ab utroque vero urbis latere montes in praerupta finiuntur, ſatis alta, quorum vertex argilla rubra et flava contegitur, media pars cretam ad plures interdum orgyias altam fovet, magis minuſque puram, aut argillae ſtratis interſtinctam, baſis ad ripam extenſa, et intra ſalum continuata, petris corneis nigris ſcrupoſis et inaequalibus formatur. Intra argillam lapides cornei variae magnitudinis, plerumque rotundi, per ſtrata fere diſſeminantur, per cretam vero infra per ſpatia horizontalia laxiora, ſurſum vero anguſtiora ſimilia, diſperſi ſunt lapides ſimiliter cornei nigerrimi intus, et multiformes, varios cubitos et angulos obtuſos mutantes, molis interdum ad 50 l. 25. pondo, etiam minores. Ad has ripas frequentes excurſiones quotidie feci, praeſertim mane ante reditum pleni fluxus, verſus meridiem recurrentis, et poſt meridiem tempore refluxus, qui plerumque poſt horam quartam eo anni tempore accidere, nec ante quintam finire ſolet In latere dextro ripae, ſ. ſeptentrionali et orientali petrae, quas mare plenum adluit, cretaceae obtectae erant *Tremella* viridi linearibus frondibus, an primordiis alterius? et viridiſſima alia, forte *Conferva*, aut ejusdem cum Tremella iſta indolis; oblique vero inter iſtas implantatae fuerunt ſtipes parvae *Fuci veſiculoſi*, qui tamen veſiculas molliores in apice praeſertim

ſeptum geſſit, Gallarum inſtar fere. In ſcrobibus petrarum, aqua non penitus vacuis, copioſiſſima fuit *Corallina noduloſa, rubens* Linn., articulis brevioribus, eleganter roſei coloris, cujus apices plerumque molles et tumiduſculi fuerunt. Inter illam frequenter habitarunt Paguri, minutiſſimi interdum vid. Baſteri Opuſcul. Sinubus etiam lineis petris adfixa fuerunt *Tethya fimbriata*, duplici fimbriarum ſerie conſtantia, parva, quae in Ed. II^da Columnae pinguntur, ni fallor, et ab Aldrovando pictum videtur unum p. 568 a ſiniſtris ſupra, et altera p. eadem in medio a dextris, prima ſub titulo Vrtica rubra Rondeletii, altera Vrtica contracta Bellonii. Aliqua ſolvi, et domum reportavi, repoſuique in vaſe, aqua marina pleno, altero mane eadem adfixa fundo vaſis reperi et explicata, ibi continuo haerentia. Petrae eaedem corneae fovebant magnam vim *Buccinorum* varii generis, et *Neritarum*, ſed pauciores Fucos.

Ad Litus vero occidentem, et ex parte ſeptentrionem reſpiciens, civitati ad ſiniſtram oppoſitum, Fuci copioſiores fuerunt. Petrae corneae magnae ubique obtectae ſunt *Fuco ferrato* et *Fuco veſiculoſo*, qui ſibi frondes ad aliquot pedum menſuram efficiunt, et tempore refluxus, aqua non ſuſtentati integram ſuperficiem littoris paſſim obtegunt, ſimilis vero *alius Fucus veſiculoſus*, plicatis marginis et tuberculorum in apicibus quorundam ramorum, major in omnibus partibus et tortus, an *ſpiralis* Linn.? fluctibus ſaltem advehitur, unde forte rubicundus trans lucem adparet, cum alter veſiculoſus ex viridi nigreſcat, neque unquam tubercula monſtret. Inter cava petrarum, aqua adhuc plena, copioſiſſima fuit *Tremella viridis fol. lato undulato* ſ. *Vlva Linza* L. et *Vlva Lactuca* L., et *Tremella umbilicata* Dill. quae proprie triangularis vocanda eſſet, ſiquidem uno extremo in longum extenditur, altero brevi aliquantum concavo, et in latum utrinque extenſo, in petris radicatur, colore ex viridi fuſco ſe diſtinguens. In vadis tempore refluxus patentibus copioſa fuit *Conferva*, ramis longe ramoſis tenuiter articulata, ex viridi nigreſcens. Patellae copioſae petris inhaerent et Tethya ſcrobibus, inter quas una magna, lutus roſei coloris et ſtellatis fimbriis introrſum verſis, adeo profunde radicabatur in aqua, ut avellere nequiſſem niſi nudus.

Quot-

Quotidie vero ad littus ab aquis advehebantur ſtipites *Fuci palmati*, cujus pediculus digitum craſſus et tota planta ad 4 pedes alta *t*). Vix adeo diviſus natura ſua videtur, ſed ab undis diſcerpitur, ſiquidem margines lacunarum interiorum utramque paginam diſtincte per lentem monſtrant, dum extima utriusque lateris exteriorem marginem rotundatum et unitum, nec paginas diſtinctas monſtrantem poſſidere ſoleat. Porro minora exemplaria ſemper minus diviſa ſunt, et minima vix ſemel. Aeque frequentem attulerunt undae *Fucum ſaccharatum*, pediculo longo, tamen in medio ſinus impreſſos gerentem. *Fucus* etiam *ſiliquoſus* copioſus et longiſſimus ab undis rejectus, cujus ſiliquae cavae ſunt, iſthmis interſtinctae, quos mediae columellae pervadunt. Totum parenchyma iſthmorum et parietis communis, quem iſthmi dividunt, veſiculoſum eſt, ſordide album. Vltra primariam columellam ſinguli iſthmi plures ramoſae membranulae, quae in cavum iſthmi porriguntur, lacerae interdum, veſiculoſae etiam, quae per ſiccitatem ſarnuoſae et granuloſae fiunt, veluti in Buxbaumiae intercapedine aliorumque muſcorum, et ex ipſis columellis verticalibus paſſim ramuli exeunt ad parietes communes cellularum, prioribus omnino ſimiles, aëris concurſu farinoſae.

Occurrit etiam ſatis frequens *Alcyonium gelatinoſum* Linn. luteae cerae colorem imitans, multiforme, ſed fere nunquam ejus formae, ut Baſterus, ſed potius ut Boccone pinxit. Baſterus ejus animalcula deſcripſit, quae ego quidem in eo, etſi in aquam marinam ad aliquot dies repoſito, videre nequivi, ſed potius duplicem ſubſtantiam, corticalem nempe, in qua plurimae veſiculae oblongae, introrſum fere ovatae, occurrerunt, ſub forma punctorum ſphaericorum in ſuperficie externa transparentes, et preſſae ſuccum viſcidulum albidum continentum emittentes; ſub his aliud ſtratum eſt, ſatis craſſum, granula nigra ſphaerica continens: interior demum ſubſtantia ſuccoſa et aquoſa, duriuſcula tamen ſub cultro ſuit, fibris tenerrimis perſuſa, intra quam plerumque cavum eſt, aqua plenum, ma-

ximam

t) Gmelinus 25 pedes longum facit, et tamen pediculum ſaltem pedalem.

ximam corporis partem tranſiens. Eſt aliqua analogia fere inter hoc corpus et Clavariam ſ. Fucoidem croceam, quam in Sabina reperi et pinxi, quam vide.

Attulerunt etiam piſcatores *Alcyonium* ab Elliſio de Corallinis T. XVII. f. B. b. pictum, multiforme quoque et duplicis coloris, albidi nempe ad carneum vergentis, et crocei ſeu cerei. Illud carnei coloris extus undique ſtellulis angulosis exaratum fuit, in quibus animalcula, polypos nempe, vidi albus, figurae Elliſii perfecte ſimiles, alterum, ſaturatioris coloris, ſtellulis irregularibus magis exaratum fuit, animalcula tamen ſimilia fovit, prominula, radiata. Interior ſubſtantia utrique eadem fuit, nempe canalibus ex interioribus oblique ad ſuperficiem tendentibus ſatis amplis inſtructa, in quibus corpus mucoſum animalculorum latet, quod diſſectum diffluxit, et granula minuta comprehendit in muco natantia, illi albida, huic crocea, quae ova videntur, ſubſtantia reliqua cartilaginea fere, crepitans ſub cultro, molliuſcula tamen, et ſolidior prius deſcripto Alcyonio iiſtem.

Occurrunt etiam quotidie ad ripam occidentalem *Fuci Fiscomis* Gmelin fruticuli plures, partim ſoli, partim paraſitici, aliisque fucis adnati, in quorum ramificationibus aliquam tamen differentiam reperi, forſitan diverſam ſpeciem indicantem. Procellae, quae plures evenerunt, Fucos porro varios ad litus advexerunt, v. g. *Fucum nodoſum*, interdum brevibus articulis, interdum ad pedes aliquot longum, plerumque retortum, non facile rectum. Porro magnos ceſpites *Fuci faſtigiati* et illos proxime accedentis *Fuci furcellati* ſ. *lumbricalis* Gmel. cujus extrema, ſiliquas teretes imitantia, articuli inſtar ſtipiti junguntur, quod et interdum in furcellato ſire obſervavi, quare autem faſtigiatus vocetur, vix video. Procellae *)
duae

*) Una harum, per triduum fere durans, tantae violentiae fuit, ut propugnaculi partem partem dirueret, et navis unius, (quarum ad 90 pro capiendis halecibus in ſinu maris fuerant,) inter reliquas magis perpendicularis anchora facta, quam demerſerant nautae craſſitie dimidium fere pedem ſtipite emetientem, fluctuum violentia in medio ſtipite ita rupta fuerit, ac ſi cultro abſciſſa eſſet, relicta in profundo hamis et

Digitized by Google

duae maximi furoris, praeſertim una varios Fucos alios adduxerunt, ut g. *Fucum confervoidem* Linn. qui *verrucoſus* Gmelini videtur, partim nigrum, partim ex albo, flavo, rubro et nigro varium, amoenum viſu, fuci per quam elegantis frondes integras, quas *Fuco capilaceo* Gmelin. praeſertim adſimilarem, ad cujus ramulos radici proximos, et quidem in axillis ramulorum ſpinuloſorum, et fibras ipſis radicularum, vidi fungillos tuberculatos roſei coloris, perlucentes, qui videntur proles plantularum viviparum. *Fucus longiſſimus* Gmelin. etiam aliquoties acceſſit, et *ceranoides* ejusdem tam *latioribus foliis*, pluribus veſiculis in ramis inſtructus, quam *anguſtioribus*, in quorum ramis copioſiſſimae proles ex ſubſtantia foliorum emergunt. Adfuerunt etiam plura exemplaria ſimilium Fucorum tam *latifolia* coloris *nigerrimi*, quam *albi* etſi *paullo anguſtiora*, et alia adhuc *anguſtioribus* adhuc *foliis albis*, *Fuco elongato* Linn. omnium maxime accedentia, et violacei coloris, diverſa ab iſtis mihi viſa. Aliquoties etiam adfuit *Fucus plicatus* Gmelin. abſque radiculis ſenſilibus congeriem globoſam filorum exhibens. Bis occurrit *Fucus Tenda* Linn. Magna copia quoque fuit *Fucus*,

 quem

et brachiis. Nocturno tempore, quo furor maximus fuerat undarum ventorumque, juvenis 18 annor. ex nave abreptus fuerat, quem tamen fluctuum curſus ejus properans ſalvum in terram, at quidem pagum ejus natalem, depoſuit, altera mane, integra incolarum cohorte inſequente, ad templum Virginis, quam imploraſſe dixerat, ad offerendam gratiarum actionem migravit, et largiter ab incolis oppidi remuneratus abiit.

Halecees, turmatim ad has plagas advenientes, per totum autumnum, praecipue Octobrem et Novembrem partem capiuntur, partim recentes venduntur per mulierculas, in platea des Harengs ſtrax... clamantes, ſed etiam conduntur, excisis partibus angloviae aſſeo partem contrahentibus, quas ad ripam prope portum abjiciuntur, et in praedam Larorum majorum (per aëream ibi copioſe obvolitantium, ſed ita callidorum ut vix capi aut globis dejici poſſint,) poſſas cedunt, plerumque tamen cum plagam, cui quoque ſories ex oppido committuntur, foetore inquinare ſolent. Halecum magna vis, decenter ſalita, parvis doliolis incluſorum, per totam Galliam fere abhinc deportatur, part modo quotidie triginta equi curſores, et duo currus, circa veſperam abeuntes, at per totam noctem, iteratis curſibus ſolatis, Pariſios adportant primo mane non Oſtrea ſolum, ſed et plures piſcium in mari captorum ſpecies, ad delectulorum menſas replendas. Similia in oppido venduntur, praeſertim *les Merlans*.

quem, ob craſſitiem et colorem profunde ſanguineum, interim *Fucum carnoſum* vocabo, donec plura pateant de eo, et num ſub *Fuco dulci* Gmelin vere lateat. Ejus folia interdum perforantur partim ab undis, partim ab animalibus et inſectis forte ex illo victitantibus, ita ut retis in modum adpareant, quare nullus dubito, quin *Fuci reticulati* Sebae Theſ. III. T. CIII. huc pertineant, et Gmelini quoque *Agarum Clathrus* et ſimilia, ab ejusmodi laſis fucis ortum ſumſerint, cum integrae non ſint ſtirpes, ſed portiones videantur. Laciniae plurimum variant, vix unquam vero figuris Fuci dulcis Gmel. exacte respondent. Habui integros ejus ceſpites, in quibus variae magnitudinis frondes reperiuntur, omnes craſſae, profunde ſanguinei coloris, ſi recentes ſunt, ad aliquot dies vero ad litus rejectae putreſcere incipiunt, teneriores ſiunt, et aut in vireſcentem aut albidum colorem inclinant. Semel mihi occurrit decrepita ſtirps *Fuci ferrati*, in qua plantulae parvae non ſolum, ſed et aliquot pollices longae et pollicem latae, paraſitico more per caulem nidulabantur, majores frondes ad latus ſoboles parvas geſſerunt, variae magnitudinis, ſed plerumque pari modo ut ipſa frons dentibus vagis donatae, adeo ut *Fuci ovini* Gunner. Act. Nidroſ. T. IV. T. IX. iconem ſatis bene imitarentur; num diverſa igitur credi poſſit ſpecies, nec ne, an vero intermedia nondum determinabo.

Satis frequens fuit *Fucus aliquis*, quem ob tenuitatem ſubſtantiae ad *Ulvas* referre poteris, quod forte Gunnerus fecit Fl. Norveg. T. II. T. VI. f. 4 ſub nomine *Ulvae caprinae*, quae exemplaria ſimpliciora noſtri ſatis refert, ego quidem *Fucum* aut *Ulvam filipendulam* vocarem. Subſtantia tenera ſemper rubens, et foliola linearı lanceolata, multum variantia ratione diſtributionis et ortus, interdum enim ex fronde radicali obverſe ovata aut cuneiformi, modo ſemel, modo bis, prolifera fuit planta, modo ſimpliciori diviſura, modo denſe implicata. Radicatur orbiculo ſimplici aut in petra, frequenter vero in alio fuco majori, v. g. *palmato*, vel etiam in pediculo *Fuci ſaccharini*, ſtatim infra paginam, adeo ut *Fucum pinnatifidum* mentiretur omni modo, aut etiam propius ad radicem ſimilis fuci. Niſi pluribus fucis competeret, quod prolifera ſint, poſſet vocari *Ulva* aut *Fucus*

proli-

prolifer, ſiquidem exemplaria inveni, quae ter forte et pluries proliferi fuerunt, quod nempe ex primaria fronde vel in unam vel plures plagas certa vice foliola excreverint.

Occurrerunt etiam aliquot ſpecimina, *Fuco faſtigiato* ſitu ſimilia colore &c. quae vero Gmelinus *Fucum rotundum* vocat, quem proprie *teretem* vocare debuiſſet, in quo nempe paſſim Fungilli ad caulem enaſcuntur, in quibusdam ſcrobes ſaltem, quibus iſti fungilli inhaeſerunt, reſiduae erant. Num igitur mereatur, certe ut diſtinguatur, ulterius videbo.

Inveni etiam parvum aliquem *Fucum tenerum* ruberrimum, quem fere *rubentem* crederem Linnaei, biſurcatis diviſionibus plerumque ſimplicibus occurrentem, num vero primordia fuerint Fuci aut *exciſi* aut *dicurvati*, etſi colore etiam in ſicco differat, nondum certus ſum.

Aliquoties etiam ſeſe obtulit *Fucus alatus* Linn., qui prolifer etiam videtur ex fide exemplarium quorundam. Icon a Gmelino data T. XXIV. f. 5. hujus habitum non bene exprimit, qui in longum extenditur, vel uti Martyn. Cent. T. XXX. f. 5. eum pingit, quem Gmelinus vero ut peſſimum taxat, quare inducor, ut credam, Gmelinum alium fucum ante oculos habuiſſe, qualem ex mari mediterraneo habeo, absque nervo, perfecte ſimilem iconi Gmelinianae, hinc etiam Synonyma, quibus Martynius uſus eſt, a Gmelino adducta non quadrarent amplius. Rarius paullo occurrit *Fucus hirſutus* Linn. praeſertim bene ſervatus. Ubi bene ſervatus occurrit, per verticillos denſos tenerimos ramulos aut pilos ſimplices, denſo ſitu implantatos gerit, aequaliter longos in ſingulis verticillis, ſurſum adeo denſis, ut totus hirſutus appareat. Pili iſti in recenti planta ſemper viridem colorem exhibuerunt, caulis vero teres, ad angulos fere rectos remoſus, ſaturate fuſcus aut niger eſt. Diſtinguitur a Conferva verticillata denſitate villorum, verticillorumque arcto ſucceſſu in brevi ſpatio, neque etiam pili articulati ſint, etſi hoc Fucos non penitus a Conferviis diſtinguere videatur, et forte aliquae Confervae per aetatem in Fucos indurari, ut infra aliquid occurret. Occurrit etiam *Fucus Paluetta* Gmelini,

ſini, ſicut et *Fucus plumoſus* Linn. non quidem eo modo ſtructus, ſicut Oederus eum pingit, ut nunc video, ſed ita, veluti Gunnerus in Flora Norvegica eum ſiſtit. Vnus enim fere ramulus Oederiani fuci totam noſtram plantulam efficeret. Notabilem tamen aliquem *Fucum* vidi, quem *catenulatum* vocarem, paraſiticum Fuco ceranoidi inſidentem, ex meris alternis veſiculis oblongis, ſitu alternantibus, breviter ſtructus, articuli vero catenulati oblongi ſunt, multo ſolidiores et majores, quam Conferva catenulata Dill. et *Tremella ejusdem* ſ. *Ulva catenulata* Linn. poſſidet. An vero ex una illarum ortus ſuit, de hoc non parum adhuc dubito.

Tandem, et quidem poſt enormem procellam, adpulit ad litus *Fucus baccatus* Gmelini, qui ramulum breviſſimum ſaltem pingit, quare integrae ſtirpis iconem paravi. Admodum peculiaris planta eſt, quam cum reperirem, primo intuitu pro decrepito aliquo fuco nodoſo aut alio habui, curatius vero inſpectus diſtinctiones notabiles exhibuit. Stirps integra facile 4 vel 5 pedes longa eſt, et ſtatim ſupra radicem in plures ramos dividitur, alternis intervallis inchoatis hinc et inde, rami ſinguli ſimili modo ramificantur, et tandem in extremis ramulis gerunt baccas, uvae minoris aggartinae ſimiles, cavas et ad ſenſum eo tempore vacuas, fere omnes enim ruptae fuerunt. Extus ad notabile ſpatium caudex obductus fuit cruſta quadam piloſa fuſca, quae in centro mollis, et circa quodcumque punctum molle ſerie pilorum rectorum fuſcorum, quaſi in orbiculi formam, circumdata fuit. An igitur Spongiae cujusdam primordium, aut potius hinc Sertularíae aut ſimilis alicujus Zoophyti ſtructura eſt?

In uno exemplari, quod pinxi, juniora ſpecimina *Fuci ſaccharini* et *palmati* quoque, ſed aut indiviſi, aut ſaltem, ut videbatur, in duos lobos diſcerpti, magnis radicibus fibroſis caulem amplexis radicabantur. Caulis adeo rigidus fuit, ut eum diſcindere debuerim pro exſiccatione. Vid. iconem Tab. I.

Con-

v) An huic quadret *Ulva articulata* Hudſon Fl. Angl. p. 476. n. 3. videndum erit

Confervas etiam complures fluctus attulerant, inter quas primo loco nomino, quam *verticillatam* interim vocabo. Ex radice craſſa truncata ſubito in ramos dividitur, et radix ex meris tubulis contortis conſiſtere videtur. Truncus vero, aeque ut rami et ramuli, villoſi ſunt per verticillos foliolorum, longitudine verticillos aequante, nunquam ſuperante, niſi in ſummis extremitatibus. Villi ſinguli non ramoſi ſunt, intus tamen articulati ſ. iſthmis intercepti. Color totius plantae dilute ruber, in ſubfuſcum ſiccitate vergens. Cum neſciam nomen apud Auctores, iconem ejus paravi, Tab. II. Videatur, quomodo huic accedere poſſit *Conferva ſpongioſa* Hudſ. Angl. p. 480. n. 11., ſed filamenta noſtrae orbiculata, an iſti etiam, ſed praetervisa? quod vix videtur.

Alia etiam adfuit *Conferva*, quam non niſi *Fuco baccato* inſidentem inveni, et quam *bacillatam* vocarem ob formam ramorum, bacillos aequali diametro referentem rigiduſculos, quae niſi a Dillenio ſub nomine *Confervae marinae nodoſae*, *Coralloidis montanae inſtar ramoſa*, Hiſt. muſc. T. VII. f. 41. deſcripta ſit, vix ab alio adducta eſt. Color amoene roſeus fuit recenti, et ramulis intus articulatis adhaeſeruut *Sertularia* ſ. *Corallina tauri cornu veſiculis annulata* Ellis Corall. p. 57. T. 22. B. b. et corpuſcula quaedam *oblonga albiſſima undique tenuiter hirſuta*. Porro in ſabuloſis littoris ejusdem copioſa fuit *Conferva marina ſetaceolacea* Dill. T. II. f. 8. quoad ad formam, ſed intus articulata recens, etſi Dillenius de articulis ſilent, ſi vero articulos jam obſervavit *Ejusd. Conferva n. 38.* unice accedit. Eadem quoque adhaeſit Quercui marinae. Adpulit etiam cum variis Fucis *Conferva, marinae trichodes ſparſae* Dill. T. IV. f. 30. ſimilis, ſed color non reſpondet, qui noſtrae purpureus eſt; *bifurcatam* vocarem ob foliola in duos ramulos ſemper diviſa. Ad apices veſiculas habet ut Fucus. Indurari videtur, ſiquidem eamdem conſiſtentia fuci poſſideam ex mari mediterraneo, trunco et ramis primariis non amplius articulatis, extremis foliolis sue quorundam apicibus adhuc articuloſis, ſub nomine *Fuci purpurei elegantiſſimi tenuiſſime diviſi* Tournef. I. R. H. p. 569. Pariter et *Conferva* occurrit *geniculis longioribus coteuſerviolis* Dill. T. V. f. 27.

Digitized by Google

f. 27. ſed geniculis adhuc longioribus, quam pinguntur. Porro *Confervae ramoſae filamentoſae geniculis brevioribus* Dill. T. V. f. 26. ſimilis, ſed marina, cum Dillenius ſuam ex aquis dulcibus habuerit, quod tamen in Anglia fieri potuit. Denique *Confervae marinae lubricae ramoſiſſimae* Dill. T. VI. f. 38. perfecte ſimilis, etſi adeo dura, ut fucum mutaretur, quod veroſimile videtur, ita eam mutari et rurſus inter Fucos occurrere, Eſchara quoque magna ex parte jam obducta erat. In ramis Fucorum variorum eorumque caulibus frequens ſatis fuit alia, quae *Confervae marinae perbrevi et villoſae* Dill. T. IV. f. 21. perfecte ſimilis fuit, ſed articulata intus, de quibus articulis Dillenius ſilet, vel quos non obſervavit, cum inter non articulatas eam collocet. Fucis etiam adhaeſit *Conferva marina trichodes ramoſior* Dill. T. V. f. 29. quae tenerrime intus articulata eſt. Quasdam alias adhuc Confervas collegi, v. g. *Confervae mar. gelatinoſae, Corallinae inſtar geniculatae tenuiori* Dill. T. VI. f. 37. ſatis ſimilem, ſaltem teneriorem, cujus articulorum iſthmi purpurei ſunt, intercapedo albidi coloris an ad *pellucidam* Hudſon Fl. Angl. p. 483. n. 21. referenda? Item *Confervae*, quae *capillaceae longae, ramoſiſſimae molli* Dill. T. IV. f. 19. p. 23. n. 19. perfecte ſimilis fuit forma et ramorum diſtributione, ut et qualitate non gelatinoſa, differt autem, quod lente exquiſitius inſpecta intus iſthmis teneris crebris interſtincta ſit, et color ejus recentis ex nigro vireſcens, ſiccae vero ex rubro aeneus fuerit. Semel ſaltem inveni portionem, quae videbatur ad *Ulvam delicatulam* Gunner Norv. T. II. T. VIII. f. 5. pertinere, etſi prolifera non fuerit, magis tamen ad *Algam membranaceam purpuream parvam* Moriſoni H. O. III. p. 645. n. 5. quam in Belgio olim collegi integriorem. Vndae etiam attulerunt variis temporibus *Spongiam ramis teretibus* a Gunnero in Act. Nidroſ. T. IV. pictam. Si integra eſt, ex baſi plana orbiculata oritur et mox in caudicem aliquem excreſcit, mox cito a radice in ramos finditur, certum ordinem non ſemper ſequentes, et qui plerumque tamen aut ſemel aut aliquoties bifidi, apice aut obtuſo, aut in acumen magis minusve attenuati, aut verſus finem lateſcentes et obtuſi, interdum rami ad caudicem pinnato ordine transverſim locantur, et quidem interdum in eodem individuo cum bifurcatis: quare vix differentia

inde

inde petenda erit, quod tamen Gunnerus feciſſe videtur. Color omnibus ex ſtramineo colore albus eſt, et fabrica fibroſa, tenerrime inter ſe invicem textis fibris, mollis etiam poſt ſiccitatem, flaccida durante humiditate, nulla interim fructificationis ſpecies in illa occurrit. Spithamaea adſummum. *Aliam ſpeciem* adhuc inveni, colore quidem ſatis accedentem, ſed textura rigidiore et laxiore reticulata, et habitu differentem, ſiquidem brevior eſt, et craſſiore caudice, mox ſimplici, mox duobus vel tribus ejusmodi caudicibus, mox diſtinctis, mox undoſis parietis unius conſtantem, per ſiccitatem rigidam, hinc nondum certus ſum, num vera Spongia ſit, numne ſceleton cujusdam radicis aut caudicis, aqua marina elaboratum, cujus rei exempla poſtea videbimus. Videtur tamen potior ratio pro Spongia militare.

Occurrit etiam, ſed ſemel, *Spongia hiſpida*, coloris paullo in fuſcum et cinereum ex luteolo vergentis, itidem ex orbiculo plano, caudiceque craſſo brevique, in ramos obtuſiuſculos plerumque rectos et modice acutos ſubito finita, undique pilis rigiduſculis denſe ſuperficiem inveſtientibus et cum ipſa ſubſtantia continuis, tecta. Statura humilior eſt, quam praecedens, neque tamen quidquam de fructificatione monſtravit. Ex altera autem parte nihil deprehendere in omnibus potui, quod animalitati, ut vocant, faveret, nullum motum ſpontaneum, neque alium praeter talem, quem corpus quodcumque bibulum, aqua plenum, reddet, ſecedente aqua, quod ſi ſubito fit, aliquem motum producere poterit, lente vero elabente latice, praeter ſtructuram ex ſiccatione emergentem, nullam deprehendere potui.

Alia tamen res eſt cum *cruſta quadam, facie externa ad ſpongias accedente*, varios fucos, praeſertim Fucum baccatum in trunco obducente: haec exſiccata Spongiae ejusmodi hiſpidae primordia non male refert, et in medio ſemper ſubſtantiam aliquam mucilaginoſam gerit, quae extus tabibus pilis rigidis in orbem poſitis veſtitur, adeoque plures ejusmodi orbiculi cohaerentes cruſtam iſtam faciunt, quae ſiccata faciem Spongiae hiſpidae praefert, teneram, truncos inveſtientem. Poſſet forte

 ſemen

ſemen, aut quodcumque aliud primordium Spongiae in muco latere, aut illo involvi, ut eo melius eandem cuidam agglutinari in undis poſſit, et tamen adhuc ad vegetabilia pertinere, ſicuti ejus rei exempla in Viſco et aliis videmus, vel poſſet etiam corpus penitus diverſum eſſe a Spongia hiſpida, et ad Eſchararum aut Alcyoniorum claſſem pertinere, de quibus ii, qui ad mare diutius degunt, certiores fieri poſſent, mihi certe, etſi in aquam marinam depoſuerim, nihil, quod animalem aut moventem qualitatem evincere potuiſſet, deprehendi potuit.

Aliud interim *corpus* mihi occurrit, rarius Fucis, frequentius Tubulariae majori Elliſii ita adnatum, ut non raro ad ipſam Tubulariam reticulatum quaſi opus efficeret. Color ejus plerumque albus fuit, per putredinem aut vetuſtatem ſaltem viroris aliquid admixtum habuit. Hoc corpus quamdiu recens fuit, carnoſam quidem, ſed durjuſculam, attamen fragilem ſubſtantiam monſtravit, pluribus foraminulis variae magnitudinis perforatam extus non ſolum, ſed et intus paſſim aliquid cavernoſi monſtrantem, incolas vero nullos detegere potui, quin et ſero foraminula praeter naturam adfuiſſe, varia diametri menſura fere ſuaderet. Exſiccari ſe paſſum eſt absque magna difficultate, et ſectum dein fibroſam fabricam prodidit, fibris tenerrimis varie inter ſe intertextis conſtantem ſplendentibus ad lucem, veluti mucus exſiccatus ſolet. Num ad Alcyonia adhuc referendum ſit, an vero corpus ſit inter hoc et Spongias medium, iis relinquere debeo, quibus obſervandi occaſio melior, quam mihi ſuppetit. Forte, ni fallor, Linnaeus aliquid ſimile inter Spongias habere videtur, forte tomentoſa ejusdem eſt. Agarico muſcario aut Boleto cuidam ſeneſcenti ſimilem ſubſtantiam crediderim. Varias etiam Sertularias partim a piſcatoribus extractas habui, partim ipſe reperi. Adeoque *Corallina cellifera fragilis ramoſa, colore eburneo* Ellis Corall. p. 54. n. 6. T. 21. n. 6. A. non in *Fluſtra* latifolia ſolum, ſed et in *Tubularia majori* nidulatur, et ita quidem ad latus frequentes ipſi fuerunt ſpinulae ſingulae, in icone Elliſii omiſſae, quam ob rem concluderem fere, adfinem hanc eſſe *Corallinae* Ejusd. n. 10. quae unica tubulorum ſerie conſtat, nunc vero in hac duplici, quibus

tamen

Digitized by Google

tamen etiam interdum ſpinulae deſunt. Satis copioſa etiam fuit *Corallina muſcoſa pennata ramulis et capillamentis falcatis* Ejusd. p 26 n. 11. T VII f 11 a A albicante colore praedita, cujus trunco interdum adhaeſit *Corallina* Ejusd. T. II f. 2 A urceolis rugatis. Vnica ſaltem vice occurrit ad ramulum Fuci ſiliquoſi adhaerens *Corallina pennata et ſiliquata, denticulis florem liliacei convallium referentibus* Ejusd p. 27. n. 12 T VII f 12 b. B. Occurrit quoque *Tubularia fiſtuloſa* Linn. f. *Corallina* Ellis p 60. n 1. T 23 f 2 A copioſius vero *Tubularia muſcoides* Linn f. *Corallina tubularia* Ellis p 45 n 1 T 16 lit b quae prolifera videtur, et quidem ita ut tubuli tenelli Tubulariae majori f indiviſae adhaereant. In uno ceſpituio animalcula viva adhuc vidi alba Copioſa fuit quoque *Corallina tubularia calamos avenaceos referens* Ellis p 46 n. 2. T 16 f 6 in qua variae aliae Sertulariae nidulabantur. Tellinis et Chamulis inhaeſit ope orbiculorum ſtriatorum *Corallina veſiculata, caule angulato rigido, ramis denſe ſtipatis* &c. *denticulis caulı appreſſis* Ellis p. 24 n 9 T. 5. f 9. b. B. cujus icon caule annexas veſiculas exhibet, quae hic ſupremo apice caulem aliquantum relinquunt et deſerunt, de caetero caulis per intervalla articulatus eſt. Occurrit etiam *Corallina*, animalcula viva adhuc monſtrans, dilute ſulphurei coloris, quae toti Zoophyto iſtum colorem communicarunt, admodum ſimilis *Corallinae ramoſae, alterne denticulatae lenticulis binis transverſis* &c. Ellis p 19. at 20 n. 3 T. II. lit. b B. praecipue n 20. ſed aliquantum habitu recedit. Variorum Fucorum, praeſertim *Quercus mar* ramos obduxit fere *Corallina pumila repens minus ramoſa* Ejusd p. 23. n 8 T. 5 f 8 a A. Cum retibus extracta quoque eſt *Corallina muſcoſa denticulata procumbens* &c *denticulis ex adverſo ſitis* Ejusd p. 21 n 6 T 3. f 6 b B in qua urceoli aliqui pectinem habuerunt introverſum, ut Brya varia ſolent. Inter alia exemplaria etiam unum fuit, truncum pennae corvinae circiter craſſitie aequans, in quo iſta Corallina undique comae inſtar radicata fuit Non infrequens fuit *Corallina muſcoſa alterna vice denticulata, ramulis in capillamenta* &c. Ejusd p 20. n 4 T. II. f. 4 c C. Nactus quoque ſum *Corallinam celluloſam avium capitula gerentem* Ejusd. p 119 f 7. T. 38. f. H. G. Inveni etiam aliquoties *Corallinam erectam tubuloſam pen*

natam baleis ſpinae facie Ellis Corall p. 132. n. 15 T. 10 f. 15. a A B. fruticulum Keratophyti fere interdum imitantem, cujus uti exemplari adhaeſit *Sertularia pinis alternis patulis ciliatis*, diverſa ab illa Ellisii T. 20. n. 5., ad baſin, corpore iſto ſupra deſcripto fungoſo involutam. Occurrit porro *Corallina erecta pennata denticulis alternis* &c. *Lonchitidis* &c. *facie* Ejusd. p. 25. n. 10. T. 6. etſi denticuli paullo magis diſtent a caule, nec adeo alterni ſed oppoſiti quoque ſint, urceoli bilabiati fuerunt. Videndum num forte huc quadret *Corallina veſiculata ſparſim et alternatim ramoſa* &c. Ejusd. p. 17. T. 1. lit. a. A. etſi urceoli crenati non ſint.

Extraxi etiam maſſam compoſitam *ex Corallina Abietis forma* Ejusd. p. 18. n. 2. T. 1. lit. b. B. *Corallina muſcoſa pennata ramulis falcatis* Ejusd. p. 26. n. 11. T. 7. a. A. et *Millepora* Ejusd. ibid. T. 27. lit. F. f. *Cellepora pumicoſa* Linn. Eandem quoque Sertulariam Abietis forma &c. ovis Rajae extus firmiter innatam aliquoties deprehendi. Incrementum igitur ſatis praecox habere debent ejusmodi Sertulariae, cum in ejusmodi corporibus adoleſcere poſſint. Piſcatores porro attulerunt *Corallinam Aſtaci corniculorum aemulam* Ellis p. 29. n. 14. T. 9. lit. a. A. ſed plerumque baſin ſaltem adhuc habentem, ex infinita congerie tubulorum vermicularum teneriſſimorum conſtatam. Integram vero nactus *ejus varietatem, cirrhis obſitam et ramoſam*, quam Ellis p. 29. T. 9. lit. B. adducit, priorem etiam cum variis aliis Sertulariis ovo Rajae innatam reperi.

Fuco ſiliquoſo copioſe adhaeſit, praeſertim ſurſum, *Corallina cuſcutae forma minima ramoſa repens* Ellis p. 44. n. 26. T. 14. f. 26. C. *Fluſtra foliacea* Linnaei magna copia quotidie fere et magnis caeſpitibus rejecta eſt, in qua variae Sertulariae huc usque dictae nidulabantur, praeſertim vero eburnea, ut et aliqua Eſchara tenera et minima, membranaceo pariete ſtructa, conſtans ex ſphaerulis aut corpuſculis ex rotundo ovatis extrorſum ore rotundo apertis, quod circum teneriſſimis ſpinulis ornata, quare vocarem *Eſcharam ore rotundo ciliato*, ſi modo Eſchara eſt, nec forte ovula ipſius Zoophyti in congeriem concervata, ſiquidem in porulis ipſius Fluſtrae aliquid

quid, quod ejuſmodi corpuſculis, etſi obſcure adhuc, ſimile fuit, haereos paſſim viderim.

Ad baſin Fuci ſuccellati, ut et ad Tubulariam majorem, fuit *Corallina exigua, caule geniculato ſcandens, veſiculis &c. ita poſitis ut ſyringam pene referant* Ellis Corall. p. 43. n. 24. T. 15. f. 24. b. B. ad eundem locum in Fluſtra fuit *Corallina veſiculifera ſimilis Corallinae veſiculis oblongis*, cujus meminit Ellis p. 40. n. 21. et T. 14. lit. B. in eadem quoque *Sertularia ſ. Corall. anguiformis minutiſſima* Ejusd. p. 58. n. 11. T. 22. n. 11. C. C. Porro *Corallina celliſera minutiſſima falcata et cruſtata, cellulis capricorniformibus ſimplicibus* Ejusd. p. 57. n. 10. T. 21. f. 10. c. C. *cum qua alia peculiarem* creſcendi modum exhibens, trunco in modum *Corallinae eburneae* Elliſii n. 6 ſtructo, ex quo *rami ſimplices*, articulati *ſimpliciter oriuntur*. Occurrit etiam alia quae cui *ad Elliſii Corallinam T. XX. f. 4.* aut *f. 5.* accedit, ulterius rimanda. Porro in Fluſtra unica vice occurrit alia *Eſchara tenerrima, poris ſubtiliſſimis pertuſa*, inter quos diſtributae erant veſiculae pellucidae, clauſae ut mihi videbatur, ſubſtantiae membraneae, et in alia fuit *Eſchara parva alba*, ad coralliorum naturam magis accedens, poris rotundis pertuſa, ore elevato denticulo inſtructis, corpuſculum rotundum formans.

Ad ripas rejecerunt piſcatores, retia purgantes, *Pſeudocorallium* iſtud parvum, quod Elliſius T. XXVII. N. 1. c. pingit, coloris roſei recens, vetuſtum albi, vario modo ramoſum, in quo exemplaria occurrerunt, quae undique libere eſſe et creviſſe debuerunt, cum nullibi radicis aut baſeos alicujus veſtigium adfuerit, cui adnexum eſſe potuiſſet. Varia quoque *ſceleta herbarum* per intervalla ad ripas depoſita fuerunt, inter quae folia *Fryngii vulgaris* et *Ruſci aculeati* integer ramus adeo bene ſervata fuerunt, ut retinuerim. Vnde haec igitur venerunt? w)

Poſt procellam maximam in ripa inveni *Holothuriam forte ſ. Vrticam marinam feneſtratam*, quam Aldrovandus de Zoophytis p. 575. ſub nomine *Pulmo marinus Matthioli* pingit, feneſtris quatuor arcuatis perviam, et in

L 3 fimbriis

w) *Ex Anglia, ut videtur. Adn. Edit.*

fimbriis forte mutilatam, quae adeo longae non fuerunt, nec adeo ſpecatae, ut figura exhibet. Tota hyalina fuit, colore albumen ovi Vanelli coĉti opalinum referens, membranacea quidem, attamen tenax, ut alliſu non rumperetur. Propter odorem gravem et vaſis deſtitutus congruis ſervare nequivi. Pars inferior globum dimidiatum referens, pugni fere magnitudinem habuit.

Cum ſerus autumnus eſſet, parum exſpectare poteram de herbarum inquiſitione, aliquoties tamen ultra civitatem ad dextram exſpatianti ad foſſas et canales, aquam marinam admittentes interdum, ut videbatur, occurrit adhuc *Aſter Tripolium ſ. maritimus*, dein etiam *Atriplex haſtata* Linn. et *Chenopodium maritimum* Ejusd. et *Halimus* Auctorum *latifolius*, in fruticulos parvos fere excreſcens, ſic et *Salicornia Kali* paſſim fuit et *Arenaria maritima* Ruppii, ad muros *Parietaria* copioſa fuit. Super iſtos muros elegantes quoque *Cochleae* nigris taeniis diſtinctae magna copia fuerant, diſtinctae, ut videtur, ab illis Lauſannae collectis, cum ne unicam viderim ipſum majus mole ſuperantem: forma etiam aliquantum differt.

Viſitavi etiam collectionem ſane conſpicuam *D. Feret*, Pharmacopoei, viri eruditi et intelligentis, plurima pulchra Conchylia, inter quae Concha exotica et Argi conſpicui erant, Cochleas et alia conchylia minutiſſima, plurima terreſtria comprehendentem, varia marina ex iſtis maribus deprompta, petrificata iſtarum et adjacentium regionum, Echinos praeſertim bene ſervatos et Strombos enormis molis Chaumontianos, aliaque continentem. Inſectum etiam vegetans ſ. Clavariam inſecto innatam ſervat.

Ad ſiniſtram urbis, ubi, ut dixi, ad ripam maris petrae cretaceae praeruptae montoſa altiora terminant, et valli ſpecies adeſt, ad quod diſrupti aheni ferrei, ex quo globi cavi explodi ſolent, dimidia pars, ab Anglorum obſidione reſidua jacet, ad duos circiter pedes a baſi incipiens ſtratum detexi, horizonti ſatis conforme, ſaltem interdum aliquantum adſcendens, oblique tamen rurſus deſcendens, ad diſtantiam notabilem in ripa continuatum, ſiquidem illud ultra 600 vel plures paſſus perſecutus ſum, quod

quod *Pinnas marinas* conſpicuae magnitudinis in ſe comprehendit, rariſſime integras, fruſta tamen magis minusve conſpicua, eo charactere ſeſe diſtinguentia, quod ex fibris a ſuperficie introrſum verticaliter poſitis componantur, quales nullae aliae Conchae poſſidant, excepto hoc genere. Plerumque ita locantur, ut exterior ſuperficies horizontem ſ. baſin reſpiciat, exinde concludo, quod mortuo animali, ubi valvae dilabuntur, ab undis huc collocatae fuerint et petrificationem ſubierint. Integram unam adhuc ſervo, pedes duos longitudine, et latitudine unum bene aequantem, ex ea ſpecie, quam Seba Tom. III. in medio Tabulae, et, ut videtur, Gualtierius quoque pingunt, latiori quam vulgaris, et plicas aliquas obliquas transverſim habentem. Naturalem ſervo parvam, pellucidam, ſicuti et vocatur. *Balanorum* etiam veſtigia aliqua iis intermixta reperi, ſed rarius, etſi ripa Balanorum infinitam copiam in lapidibus et Conchis hic nutriat, Pinnes non agnoſcat. Occurrerunt etiam in lapide ripae, aliquot fruſtula *Madreporae craſſae* &c. in corneum lapidem verſae, et portiones cretae paullo duriores inter plagas, quas fluctus attingunt, jacent, quas Mytuli et Pholades perforaverunt, Mytulos enim et petras corneas forare, hic pluribus exemplis vivis deprehendi; eſt *Mytulus ſaturate violacei coloris*, quem etiam coctum hic comedunt. Similes lapides cornei poſtmodum in reditu mihi occurrerunt ad viam, quae foramina ſimilia monſtrarunt, adeo diſſitis tamen locis, ut ex his plagis peti vix potuiſſent, ergo ibi potius effoſſae. Piſcium et aliorum animalium marinorum curam habere nequivi, cum tempus non ſuffecerit omnibus rimandis, et ſatis per alios id argumentum agitetur. Haleces hic usque ad finem fere anni capiuntur a principio autumni, et per totam Galliam mittuntur. Piſcium quoque magna pars, et oſtreorum immenſa vis Lutetiam quotidie tranſmittuntur iſtis menſibus equis velocibus, quorum receptacula in ripa ad ſiniſtram urbis ſunt, ſepimentis interſtincta. Accedere quoque ſolent Piſcatores ex America ſeptentrionali piſces advehentes, *Morues* Gallis, quorum ventriculi ſeparatim quoque venduntur. Ex Martinica etiam naves appellunt, inter quas aliqua cujus nauta *Madreporam virgineam* attulit, quam comparavi.

Pro

Pro balneis in aqua marina a quibusdam currus ſ. caſae mobiles aedificatae ſunt, per quas commodiſſime balneum ſumi poteſt.

Naves etiam conſtruunt incolae, quas vendunt, ſed piſcatorias ſol tem, aut mercatorias Ex iſtiusmodi balneis, ſed domi ſumtis, et uſu interno ejusdem cum Aethiope vegetabili, quem ibi praeparavi, juſta doſi juncto plurimum profecit Sereniſſima, viſcerum emunctoriorum vitiis praecipue laborans

Per totum iſtud tempus experti ſumus moderatam tempeſtatem, quae excurſionibus diuturnis plurimum favit. Peculiare autem eſt iſti regioni, noctu exhalationes, quas calor diurnus elevavit, imbrium ſub forma deſcendere, mane coelo ſereno redeunte.

Abſolvi igitur hoc modo iter, ex altiſſimo Europae apice, ex Monte nempe Albo usque ad planitiem maris, ab Auguſti fine usque ad initia Octobris, et ſedulo annotavi ſtrata terrae mihi occurrentia, ſicuti ſeſe excipiunt intra hanc diagonalem, ſeu planum inclinatum

Reditum inſtruximus d 18 Novembris. Exeuntes ex civitate adſcendimus ſtatim per montes cretaceos, mites quidem, et in ſummis aratro parentibus Agri ſaginantur vel potius corriguntur marga cretacea, quam tunc per acervos diſpoſuerant agricolae, diſtribuendos demum Viae ſtratae ſunt lapide corneo nigro, qui mox albo, mox rufo cortice veſtitus fuit. Ex confiniis is petitur, et cortex locum natalem indicat, ſicuti mox ex locis cretaceis mox argilloſis petitur. Inter iſtos lapides plures Alcyonia fuiſſe videntur, quod ex fabrica interiore partim, partim ex figura concluderem. Magna interim pars eorundem lapidum corneorum globoſam aut oblongam formam imitatur, et pedunculum vel in uno vel pluribus locis quaſi monſtrat Qui Alcyoniis adſimilandi veniunt, illi cruſta externa in puriorem corneam ſubſtantiam mutati ſunt, quae internam cavernoſam aut fibrilloſam quaſi ambit, aliqui etiam cavi ſunt, nucleum liberum ex argilloſo et cretaceo concremento mixto formatum Attingimus iterum *Rhodomagum*, quod altero die

by Google

D. 19. ejusd. relinquimus. Iter inſtruimus cautes per alterum latus vallis, in qua urbs ſita eſt, et *Sequanae* ſunt, quod Auſtro orientem ſpectat, in ea plaga montes et rupes praerupti cretacei paſſim occurrunt, per quas pergenti et tandem margaceos cinereos corneo lapide mixtus attingenti occurrit *Antirrhinum repens* Linn. adhuc florens, flore notabiliter magno, rictu aureo. Cur repens dicatur, vix patet, cum caulis erectus ſit, et radix non magis repat, quam vulgaris et plurium aliorum ejus generis, quin et cultura caulis non repit, aliquando ſaltem infra inclinatur. Paulo poſt *Ulex* etiam *europaeus* adhuc florens occurrit.

Inter *Pentaircle Nonteuil Febuntes oblongus* in via inveni. Nox ingruens non permiſit, ut occurrentia ulterius obſervare potuerim ad latus Sequanae et omnium illam intrantium. Id vero ſole oriente diſtinxi, ſtrata cretacea paſſim adhuc ſub reliquis ſtratis lutoſis collium occurrentium, emicare ad latus viae, a Sequana ſatis remotae, et tandem finire verſus pagum *Triel*, dum verſus *Marly* tendimus. In nemoribus ibi *Ulicem* excipit *Geniſta ſcoparia*, et *Aquifolium* aeque frequens, perpetuo virore amoenum et baccis rubris tunc paſſim onuſtum. Non moror in deſcriptione amoenae villae regiae illius ab aliis datae, quae pluribus modis placere et admirationem mereri poteſt. Hanc relinquendo via pergit, a dextro latere vineis ramoribus, a ſiniſtra, ubi Sequana eſt, pratis ampliſſimis defluita. Aqua omnis hic aut ex flumine aut ex puteis hauritur in hac planitie, quam peragramus, donec intramus d. 21. Sept. *Lutetiam* altera vice.

Quid ibi viderim per id tempus, quo in hac urbe moratus ſum, brevibus ſaltem tangam. Picturas magno numero in Palatio Luxemburgenſi coacervatas, et ambulacrum ſpatioſum, Rubenſis manu artificioſe pictis ſub nimis intricatis allegoriis ſuperſtructis fabulis ſuperbiens, contemplatus ſui, quarum omnium recenſionem non ordiar, cum impreſſae de eo ſint ampliae ſatis notitiae. Viſitavi Eccleſiaſticum virum l'Abbé de l'Epée, qui mutorum ſatis in gnem copiam mediantibus ſignis docet quaelibet ab ipſo ſignificata intelligere, et litteris voces quatuor, ſi poſcebatur, expri-

mentibus enunciare, quae voce non poterant, excepto puero unico, quem ſonos etſi parem bene articulatos proferre docuerat. Aliquoties perquiſivi Theſaurum Rerum naturalium regium propria domo, Hortum regium a plateae parte claudente, repoſitum, in quo *Corallia* et praecipue *Milleporae* et *Madreporae* et *Spongiae* maximae molis, et inter iſtas ramulus *Coralis rubri* veri, animalcula optime ſervata exſerta adhuc monſtrans, praecipue placuerunt. Regnum animale, ſi Conchylia excipis uberrimum ibi eſt, praeſertim *Aves*, pictaeque exoticae, et *Inſecta*, *Quadrupedum*, praeſertim *Simiarum* genera rariſſima ſatis plena. Inter ſceleta maxilla utraque *Balaenae dentatae*, quam *Cachelotum* eſſe enunciarunt, ad minimum 10 pedes longa, ſagittatae acutae formae, dentibus magnis conicis diſcretis ſpatiis poſitis ad 30 in ſingula inſtructa. Majores adhuc fuerunt dentes quam illi, a Kleinio Miſſ. Præſ. pictir, adeoque longe alius indolis, quam illi, quos apud nos in crypta Gailenreuthenſi habemus. Mineralium rerum modica vis, *Achates* pretioſique lapides plurimi, et inter *Plumbi* mineras elegans exemplar Plumbi ruſtici albi Hercynici crines ferei imitans, *Cornuum Ammonis* ex ordine ſpira prima ampliſſima praediorum aliquot exemplaria, 3 pedum facile diametro. *Ichthyolithus* quoque magnus totam carnem adhuc monſtrans craſſitie piſcis ipſius fere, albicante ſchiſto incumbentem.

Domus D. *de la Reniere* plurima continet notatu digna, menſas maximas et craſſiſſimas ex Porphyrite viridi et nigro rubroque, vaſaque majora ex iisdem lapidibus confecta, picturas porro pretioſas pictoris excellentis *le Moine*.

In palatio Thuilleries monſtrabatur Statua, Henrici Regis IV. nomine, naturam faciei imitans mixtura quadam cerae durabiliore vulgari, et veſtitu ejus temporis induta. Quae tapetum et ſimilium rerum genera fabricantur in domo Savonerres et Gobelins non moror. Ceracea Anatome Dni Sue Profeſſoris magis placeit, qui etiam in infante Cardianaſtrophen cum toto ſitu viſcerum reverſo invenit, et ſeorſo pictum aeri incidi curavit. Plurimum ejus favorem laudare debeo. Varia monſtrorum humano-

Digitized by Google

humanorum icones ſervat, et feminae alicujus iconem, cujus hiſtoria morbi in novis relationibus publicis innotuit, quae ex terrore ſubito tempore fluxus menſtrui ſuppreſſionem ejus non ſolum, ſed et adpetitui plenarium paſſa per biennium fere, ſolo manipulo Salis culinaris quotidie comeſto vixit, oſſa vero ita emollita habuit, ut neque iis ſuſiſtere neque agere aliquo modo potuerit, ſed in globum fere collecta jacens demum exſpiraverit. Plurimum de caetero delectatus fui ex converſatione repetita Dni *Sage*, membri Academiae Scientiarum Regiae, cujus benevolentiam plurimis modis expertus ſui. Elegantia experimenta circa quasdam mineras apud eum vidi. Plurimas easque egregias glebas minerarum in Gallia repertarum ipſe in cimeliis ſuis ſervat. Quarum, ſicut exterarum, bonam copiam etiam reperi apud Dnum *Romé de l'Isle*, Auctorem libri de Cryſtallis, qui inter alia curioſiora elegantem cryſtallum teretem Smaragdi Braſilienſis, Stalactiten gypſeum et caput humanum ſtalactite obductum, variasque mineras Plumbi elegantes Gallicas monſtravit. Apud Dnum *d'Ennery*, ejus hoſpitem, ſervantur plurima artificia artis encauſticae, immenſa vis monetarum antiquarum, praeſertim ex auro, ad 3000 fere, et inter alias a Carolo VIII Rege Galliae, cum Epigraphe: *Perdam Babylonis nomen*, moneta aurea bis adfuit, item antiqua vaſa et imagunculae, nuper in Gallia effoſſae. Vidi etiam collectionem ditiſſimam Dminae *de Bandeville la Préſidente*, immenſam vim Milleporarum et Madreporarum, Iſis rubra oculata obducta, in uno trunco, Echinos clavatos elegantiſſimos, ſpatagos petrificatos, in una maſſa plures Hurae fructus (?) in lapidem verſos, Orthoceratitas conſpicuos. Inter conchylia Oſtrea muricata, et aliquod aliud, Penicillum forte ex Tubulorum genere, marinum, clavatam formam gerens, inſtar Clavariae, de cujus indole adhuc incertus ſum.

Vidi collectionem amplam *Ducis de Rochefoucault*, in quibus minera ſulphuris nativi, magnis cubis nudis in argilla, Hiſpanica dicebatur, plures mineras ferri ex Succia, ubi commoratus fuit, et elegantes Alſaticas, petrificatum Tubuli clavati ſimilis iſti ſupra apud Mad. de Bandeville viſi, Encrinum ex Haſſia, quo majorem non vidi, et Oſtrea peculiaris formae

M 2 petri-

petrificata, ungulas equorum imitantia, an forte Fungites aut Madreporae fungiformes? In Theſauris arctioribus, Garde Meubles du Roi, ultra plurima notatu digna, multa vaſa, et inter alia Baptiſterium Conſtantini Magni, niſi fabulam narrarunt, ut opinor, ex Jaſpide Heliotropio, facile tres pedes longum, multa alia ex Sardonyche, vas magnum ex lapide nephritico orientali, alia ex Lapide Lazuli et Onyche orientali, alia ex auro gemmato, a Cardinali Richelio procurata et innumera alia fuere, quae non recenſebo.

D. 7. Januar. 1774. Vrbem hanc celebratiſſimam, Lutetiam, relinquimus, de qua infinita alia, hoc minus pertinentia recenſere poſſem, per planitiem fertilem, ut videbatur hieme non obſtante, migramus usque verſus *Mont Trevel*, ubi colles incipiunt, qui verſus *Chateau Thierry* et *Dormont* in montes mutari incipiunt, qui vero omnes ſub vitis cultura mitefcunt. Saxa vitreſcibilia hos primo componunt, quae verſus altiora Jaſpide rubro miſcentur, verſus *Dormant* vero argilla ſ. lutum, mox albidum, poſtea rubrum miſceri incipit, petris ejusdem naturae intermixtis, in quibus vitis laete creſcit, vineae vero ex ſtirpibus junioribus conſtare ſolent. In petris *Lichenes* varios *gelatinoſos* et *centrifugum* diſtinxi, ſed ob feſtinationem colligere nequivi. Montes demum verſus *Chalon ſur Marne* in planitiem explicari incipiunt, in qua clades Attilae fertur accidiſſe. Amnem ponte largo trajecimus, poſtea in altiora ſemper evehimur, et per regionem collibus divitem pervenimus *Nanceium* ſ. *Nancy*. Viſitatis rebus memorabilibus, Gubernio, Palatio, in quo plures picturae, et inter eas aliquae nudiores, velis tectae, et plateas concernimus.

D. 12. ejusd. aequali per plana itinere intramus *Lunevillam*, quae etiam capitali ſapientiſſimi Stanislai, per plana elatiora tamen, e quibus orientem et Auſtrum verſus montes Helvetici conſpiciuntur a longinquo, pervenimus *Saarburgum*, abhinc ſemper per calcarios colles adſcendendo ad *Pfalzburgum*, munimentum Vaubaniano more conſtructum. Continuamus viam per ſimiles montes calcarios limo pariter ſtructos *Zabernae montanae*, patriam illam Bohmeri et Medici, pluribus devaſtationibus ita elevatam, ut domus variae

ru

Digitized by Google

tatis priorum inaedificatae ſint. Has egreſſis via ſenſim declinare per planum inclinatum viſa eſt, et colles montesque vicis cultura magis magisque miteſcunt, donec ſenſim explicantur in planitiem, Lutetiana tamen, ut videbatur mihi, altiorem, qua *Argentoratum* pervenimus.

D. 13. ejusd. ſalutavi ibi amicum veteranum *D. Spielmannum*, cujus favori tantum debeo, ut jucundiſſima mihi fuerit mora in celeberrima hac Academia. Non enim ſolum ipſe Hortum Medicum Botanicum Academicum mihi aperuit, in quo plurima rariora, praecipue ex arboribus, inter quas Bignonia Catalpa eminet, quotannis florent, et cujus plantas concinne in ordines diſtribuit, ſed et divitem ſuam mineralium collectionem et librariam ſuppellectilem demonſtravit. Filii ejus, Doctoris Medici eximii, et Cl. Profeſſoris *Hermanni* amicitiam mihi ſimul conciliavi, qui comitate inſigni me exceperunt, hic praecipue plurima elegantia cimelia, quae domo ſua ſervat, mihi conſpicienda dedit, in quibus elegantem ordinem, quo Inſecta tradit et ſervat avium excoriatarum bonam quantitatem, largam petrificatorum praecipue Campanoſum, et inter marina Gorgoniam aliquam, ut videtur nondum deſcriptam, ramis ſimplicibus pinnatis, pinnis ſpinas longas imitantibus, nigri coloris, miratus ſum. Vidi ibidem Noſocomium Univerſitatis amplum et bene inſtructum, plures, pariter ut Scholam Embryulciae. Theatrum Anatomicum, dirigente D. Profeſſore *Lobſtein*, viro tam comitate quam dexteritate artis commendatiſſimo, optime inſtructum, qui et largam praeparatorum anatomicorum, a celeberrimis priorum hujus ſeculi annorum profectoribus, Nicolai, Mayo et aliis confectorum et plurima alia rariora animalia et praeternaturales ſtructuras partium humanarum v. g. uteri duplicis &c. in vitris ſervatarum demonſtravit, et in infante fibras ex abdomine cum proceſſu vaginali ad teſticuli involucra deſcendentes, herniarum congenitarum cauſſas futuras, exhibuit. Vidi porro Noſocomium Gallicum ampliſſimum et inſtructiſſimum plures, quod pharmacopolio et omnibus neceſſariis largiſſime inſtructum eſt. Alia brevitatis cauſſa nunc praetereo.

Relinquimus Argentoratum d. 24. ejusd. non tranſgreſſi Rhenum, ſed pergimus per Alſatiam verſus *Germersheim*, ubi e longinquo ſemper comitabantur, orientem verſus, montes elatiores Sueviae, quorum valles ab oriente occidentem circiter verſus in planities deflectunt, donec planitiem Rheni attingimus, media etſi hieme perquam mitem, in qua ad oras Rheni ſitum eſt *Manhemium*, quod intramus. Munitiſſima more Cochorniano urbis eſt, et eleganti platearum ordinatione commendabilis. Contemplor ibidem multa cum voluptate ſelectum picturarum, in arce Electorali ſervatarum, optimorum pictorum, praecipue van der Werft reliquias. Theſauri rerum naturalium opimi et ampli ſub directione Dni de Collini conditur ex omni lapidum claſſe, praecipue uteros cryſtallis repletos Agatinos, ampla petrificatorum ſpecimina et inter illa Tabulam ultra tres pedes magnam *Pentacrinorum* integrorum pedunculis ſuis adhaerentium video. Oſtreum item illud anomium bivalve, niſi arte ginglymi parati ſunt, Dni *de Hulſch* ibi fuit. Magna quantitas lapidum ex Romanorum tempore in terra iſtisque regionibus deliteſcentium provida Electoris cura ibi repoſita eſt. Vidi etiam magnam vim Ectyporum, Gypſo ad ſtatuas antiquas efformatorum, juſſu Principis ſervatorum. Intravi domum, in qua ſimulacrum Ducis Caroli Lotharingici ex aere ſundere parabant, et fere abſolverant. Vidi Turrim obſervatoriam R. P. Majeri extra urbem in libero horizonte erectam.

Relinquimus ſedem Electoralem d. 29. ej. et tendimus *Heidelbergam*, in clauſtris montium ad Nicri introitum convergentium transverſim ſitam. Ibi non morati ſtatim adſcendimus per montoſas vias in montes primum arena rubra ſtructos, dein calcareos, ſemper altiora petentes, ubi in pago fuit *Aſplenium Adiantum nigrum* L. Nocte ingruente per montoſa et ſylvoſa proficiſcenti facultas non fuit obſervandi ſive plantas ſive lapidum genium, lutoſum ſolum vero viarum malignitas ſatis demonſtravit. Deſcendentes ſemper et tandem Nicri ripas attingentes, eum trajicimus navi lata, et poſt mediam noctem divertimus in *Neckerels* in altera fluvii ripa ſito oppido. Multo mane iterum viam ingreſſi, praeterimus horis ma-

tutinis

tutius *ſalinas Mosbachenſes*, domo gradatoria inſtructas, in valle ſitas Adſcendimus iuga montium nive tunc tecta, et accedimus oppidum *Weikersheim*, ſolo argilloſo fiſſili ad *Tubarum* ſitum, et multa nocte *Mergentheimum* intramus Ibi pernoctantes altera mendie Rotheoburgum ad Tubarum attingimus, montoſis calcareis collibus ex ea plaga impoſitum, donec eodem die huc revertimur, et iter ſatis longum et diu protractum claudimus

APPENDIX
OBSERVATIONUM

I.
DE ALIQVIBVS PLANTIS PILOSELLOIDEIS
ad pag. 17.

Plantae piloſelloideae mihi quidem varias difficultates habere videntur

1) Halleri Hieracium Hiſt n. 50. folia radicalia late lanceolata, apice non acuminato, utrimque pilis non valde longis rigidulis (in reſpectu ad reliquas adſiues) denſo ſatis veſtita poſſidet. Caulis erectus unum alterumve foliolum ejusdem formae ſeſſile gerit, cum ipſo caule pariter piloſum, ſumma caulis hirſutiora ligulas aliquas ſimiles gerere ſolent et tandem dividuntur in corymbum 6 vel 8 florum in pedunculis ſimplicibus ſingulorum, Interjecta aliquando minima ligula vel rudimento floris quaſi tertoris Calicis foliola ſimili modo pilis longis denſe conſperſa, inter quos ſaltem aliquos nigros deprehendere potui. Florum colorem ex ſiccis determinare vix potero

Interim Idem pro Varietate β) dat Hieracium aurantiacum Linn. ſi recte ſentio, de quo infra

Simile omnino et quod ad omnia exacte concordans miſit amiciſſimus Schreberus, Sedini collectum, adeoque Germania idem fovet *) Bauhinus

*) Vix ibidem ſponte natum fuit, niſi forte in rejectamentis hortorum. *Adn. Edit*

hinus et poſt eum Hallerus flores primo rubentes, poſtea aurantios deſcribunt.

2) Porro Hallerus in Edit. Ruppii IIda p. 204. deſcribit PILOSELLAM, in qua pagina foliorum radicalium, lanceatorum pariter non valde et ſemper acutorum, averſa, aeque ac Caulis ſupreme, ſic et Calicinorum foliolorum, tomento breviſſimo tecta ſunt, (quale praecedens planta non habet,) et pagina foliorum adverſa diſcum quidem glabrum habet, ſed pluribus pilis longis mollibus albidis, prodeuntibus ex poris ad baſin nigricantibus, conſperſa eſt. Dentes neque in hac, nec praecedente, notabiles reperire potui, ſi forte aliqua minima rudimenta excipis. Vltra tomentum hoc, quod Hallerus ibidem farinoſum vocat, foliola calicina etiam pilis nigricantibus conſperſa ſunt. Caulis nudus una ſaltem alterave ligula ſimilis fabricae inſtructus, infra quidem pilis aliquantum longioribus, ſurſum vero tomento laxo conſperſus, verſus ſummum in aliquot ramulos, ſubſequente ordine, duos tresve dividitur, quorum quilibet duos tresve pedunculos gerit, ſingulos uniſloros, ſucceſſive efflorescentes.

Acutiſſimus Schraberus etiam hoc communicavit. Hallerus Hiſt. hanc ad Ruppium deſcriptam plantam ad n. 51. b) ſeu Nomencl. 51*. citat.

3) Idem amicus impertitus eſt plantam aliam adhuc, Sedini etiam collectam, quae ad radicem non ſolum, ſed et in caule ad longa intervalla folia habet longa, vix lanceata vocanda, ſed lingulata quaſi apicis paullo anguſtioris, quae omnia pariter ac caulis inferiora glaberrima ſunt, ſi unum alterumve pilum excipis. Superficies foliorum inferior pallidula eſt, etſi ſuperior quoque non intenſe viridis vocari poſſit. Margo minima quaedam rudimenta denticulorum rara monſtrat, quibus pilus inhaeret, ob quam cauſſam etiam facta videntur. Suprema caulis et corymbus florifer, aeque ac Calicina foliola extus pilis brevibus conſperſa ſunt, multo brevioribus quam Hall. n. 50. adeo ut aliqui fere tomentum illud ſub n. 2) notatum imitentur, ipſis his pilis aliqui pili nigricantes miſceri videntur. Caulis ultra folia duo vel tria caulina ſeſſilia, ſed diſtantia inter ſe ut dixi, ſurſum aliquot ligulas parvas et anguſtas gerit. Corymbus ramoſus eſt, ramis ſingulis 2. l 3. pedunculos emittentibus.

Hinc fere videtur, hanc plantam proxime ad illam n. 2) deſcriptam accedere.

Neutra tamen harum ſub n r. 2 et 3 deſcriptarum ſtolones gerit, neque eorum veſtigia ulla monſtrat.

4) Se-

4) Sequitur nunc planta, quam Lauſannae reperi, et quam omnium maxime cum Hall. Hiſt. n 52. concordare credere poſſem, exceptis ſtolonibus, de quibus in pluribus exemplaribus a radice decerptis ne minimum quidem reperire potui, etſi Hallerus de ſua n. 52. idem praedicet

Interim Hieracium aurantiacum, ab Hallero ad n. 1 citatum non niſi ex hortis apud nos depromi poſſe videtur. Stolones primo frequentes emittit. Folia late elliptica, aliquot caulina, raro pilo aeque ut priora conſperſa. Caulis alba quaſi farina ſuperiora verſus infuscatur, in qua non ſolum pili nigerrimi acuti, ſed et minores aciculae capitatae copioſae reperiuntur distributae. Corymbus ramoſus pariter ac Calix pilis nigerrimis veſtitus, quibusdam pilis albidis intermixtis.

5) Hieracium *cymoſum* Linn folia radicalia longe lanceata quoque gerit, pilis raris conſperſa caeterum glabra utrinque. Caulis nudus tomento breviſſimo laxe, folia Calicina ad ipſe eodem conſperſa ſunt, pilis tamen quibusdam nigricantibus inter alios albidos intermixtis.

In ordinandis Synonymis abyſſus eſt, quam quoad potero, intrabo, vix vero extricabo. Hallero tamen major fides habenda videtur, qui Bauhinianis uſus eſt.

Quod igitur ad 1) attinet ſ. Hieracium caule ſubnudo, foliis ovatis integris, floribus umbellatis aurantiis. Hall Hiſt n 50, (Folia quidem ovata vocet, quae mihi late lanceata videntur, quia baſin non ſeparant, ſed ex principio anguſtiore ſenſim in latiorem formam transeunt, tolerari tamen poterunt) citat. Hieracium Germanicum J. F. Gregorii &c. Col Ephr II p. 28. icon pag 30. quae omnino plantam Halleri ratione formae foliorum et poſitione &c. bene exprimit, etſi ſtolonem habere videatur, et ſerpere dicatur. Exemplar vero Halleri pilos nigros, non omnea ſed ſaltem inter pilos rigidos flaventes diſperſos, monſtrat. Similis omnino ſtructura eſt in n. 2) Sedinn miſſa planta, adeoque non ſolum peo eadem haberi poteſt, ſed et Germaniam ſicut Helvetiam incolit

Interim dum adhuc Linnaeus ſub Hieracio ſuo fol. integris, caule ſubnudo ſimpliciſſimo piloſo corymbifero Sp. p. 1126. n. 9. ſeu aurantiaco itidem Columnae Eph II. T. 30. citat et Germaniam pro patria etiam nominat, quaeritur num hoc Hallerianum et Sedinenſe Hieracium idem ſit cum Piloſella indica Cornuti vel Syriaca C. B. quae profunde rubros et quaſi ſanguineos flores juniores, ex rubro pro-

fronde aurantios adultos profert, ſannoſum ſcapum, pilos in eo et calice nigerrimos et aciculas nigerrimas intermixtas gerit, folia elliptica pilis albidis obſita, denſius vel rarius, quod vix credere poterit quis, niſi culturam in immenſum mutare poſſe plantam aliquam, ſimul ſtatuat. Quantum ſcio, ea forma nondum reperta erit planta ſpontanea in Germania, etſi audiverim, talem repertam fuiſſe verſus Pappenheim, de quo rumore curatius inquiram, num ne ex ſemine ex horto in agros delato, orta fuerit.

Hallerus quidem ex C. B nullum nomen ad n. 50 excitat Linnaeus vero ad Hieracium aurantiacum l. c. duplex nomen C. B. combinat, nempe Hieracium alp. non laciniatum flore fuſco Pin p. 128 n. X quod omnino coincidere videtur cum Hall n. 50 ſicut Prodr p. 65 Deſcriptus notat in Rhaetia repertum. Alterum dein Hieracium hortenſe floribus atro purpuraſcentibus C. B. Pin p. ead n. XI et Prodr p. 65 n. 28 de quo ipſi C. B. viſum eſt cultura oriri, etſi deſcriptio vix cum Linnaeana definitione coincidat. Tentabo igitur translationem ſeminis in agros, ut certi quid eruam

Ad 2) Certus eſſe poſſum, quod exemplar ſub hoc numero ſit Halleri planta ad Ruppium notata, ſiquidem Idem ſub Hieracio ſuo caule ſubnudo, fol. hirſutis lanceolatis, floribus umbellatis petiolis ramoſis Hiſt n. 51. b) Nom. 51* ibi inter Synonyma collocat Piloſellam majorem alteram Tab p. 197. quae a C. B Pin p. 262 n. VI. Piloſellae ſuae majori alteri ſubjicitur, non vero Piloſellae montanae hiſpidae parvo flore C. B. Pin. p. eod n. V. ad quam adcommodat Piloſell macrocaulon &c. Col Ephr I p. 249 quae juſto modo pertinere videtur ad plantam Halleri 52. ſ. illam n. 4. nobis dictam Hallerus tamen nomen Linnaeanum Hieracii cymoſi Linn Sp p. 1126 n. 7. ad ſuam plantam n. 51 b) Nomencl n. 51* adcommodat. Ex his concludi poſſet, Hallerum Linnaei Hieracium cymoſum pro ſua planta n. 51 b agnoſcere Si vero Linnaei deſcriptio confertur, cum exemplaribus neque, neque cum deſcriptione Halleri concordare videtur Linnaeus pilos rigidos utrimque et folia albo hiſpida notat, et baſin ſcapi piloſam, pro qua videnda ad aliquam ſaltem adſimilitionem acutiſſimus oculus requiritur Hallerus vero breves pilos, ad Ruppium ſannoſos quaſi ut fere ſunt, requirit, et quae plura ſunt.

Interea Linnaeus Hieracio ſuo cymoſo adcommodat Hieracium murorum anguſtifolium non lunatum, C. B p. 129 cujus iconem dedit Prodr p. 67. quam plantam ibidem Hallerus Hieracio ſuo n. 52 non abs jure, ut videtur ſubjecit. Iconem J. B. II. pag. 1040 uterque pro Synonymo

Digitized by Google

nymo tolerat, Hallerus ſub n. 51. b) et Linnaeus ſub Hieracio cymoſo, quae ex Tabernaemontani icone reverſa ortum ſumſit, quamque Hallerus ſatis bonam vocat, etſi folia perquam piloſa ſint.

Quaerendum num planta ſub n. 3) a me recenſita, non poſſit eſſe Piloſella folio anguſtiore minus piloſo (*repens* quod addit, quae tamen absque ſtolonibus eſt) J. B. II. p. 1040? quam Hallerus ad n. 52. ſuum refert, ſi vero hic numerus 52., ut credo, concordat cum Lauſanenſi planta n. 4) mihi diverſa eſſe poterit, laevitate foliorum, quam J. Bauhinus expreſſe requirit, adeoque major probabilitas ideo non ſolum, ſed et ob anguſtam formam foliorum, quae pinguntur et deſcribuntur a J. B., vera poterit eſſe planta Bauhini, quam alii ad aliam plantam traxerunt.

Ad n. 5) Hieracium cymoſum *L.* quod ſub hoc lemmate in horto Altorfino legi, ut ſupra deſcriptum eſt, facie ab illo Halleri n. 51.* recedit, nec penitus concurdat cum deſcriptione Linnaei, interim notabiliter non aberrat, niſi quod baſis piloſa non ſit eminenter talis *).

II.

DE CARDVO ACANTHOIDE

Ruppii, Linnei et Jo. Bauhini

ad pag. 63.

Carduus *acanthoides* Ruppii, idem, ut videtur, qui *Carduus ſpinoſiſſimus* Loeſel. fl. Pruſſ. tab. 5. in ſalicetis et ad ripas Rednitii, circa Erlangam proveniens, caulis alis et foliis, (forte ſolum magis diſſectis et inferius non adeo incanis), itidem mollitie ſpinularum, plurimum accedit ad *Cirſium pratenſe polycephalon* Rupp. Caulis ſaltem multo altior et multo ramoſior, ſiquidem ad ſingulas fere alas ramos erectos iterum ramoſos, ſi pedunculos florum praeſertim computas, trudit. Capitula florum plerumque pedunculata ſunt, rarius ſeſſilia, interdem ſolitaria, non raro, praeſertim vero ad apicem ramorum, flos unus, interdum duo ſecundarii, preſſe adcumbunt primario. Calix ſubrotundus ad ovalem formam aliquantum quidem accedit, non vero ita ut in polycephalo. Componitur ex ſex ſeptemve circiter ordinibus ſquamarum alternarum lineari-lanceolatarum, inferiores ordines virides, ſuperiores ſenſim margine colorantur, intimi duo penitus purpuraſcunt. Inferiorum ordinum quatuor corpore

 ſuo

*) Conf. de his plantis celeb. DE vol. I. Baſil 1787. p. 304. 305. *Adn.* LACHENAL in Nov. Act. Helvet. *Ed.*

ſuo ſibi adprimuntur invicem, verſus apicem vero in patentem formam retrovertuntur, et dein in aculeum ſ ſpinulam mollem abeunt albidam. Superiores duo, vel tres etiam, ordines in ſpinulas non ita abeunt, ſed potius ex forma ſua lineari-lanceolata ſaltem in apicem acuminatum, plerumque vero is apex in flore juniore intro vertitur et ſic abſconditur. In nullis vero totius calycis foliolis ne veſtigium quidem glutiniferi pori aut glandulae adparet. Marginas etiam omnium tenuiſſimam et laxam lanam interdum exhibent.

Floſculi ex tubo anguſtiſſimo cylindrico tereti albo expanduntur in fauces purpureas, profunde ſatis ſectas, ampliores tubo et quinque ſtriis eminentibus leniter notatas, quae abeunt in 5 lacinias erectas lineares purpureas.

Farina ſtaminum leniter purpuraſcit magis vel minus profunde. Stylus longe prominet, teres leniter curvus, purpureus, ſupra ubi ſtigmata incipiunt paullo craſſior, at barbula molli ex aciculis non capitatis ſuccoſis formata circum circa, annuli in modum, ornatus. Poſtea finditur in ſtigmata duo erecta, ſibi invicem contigua, numquam divergentia, linearia, in totum usque apicem qui obtuſus eſt. Pappus ſimplex ſemen coronat, per lentem vero tamen minutim ad latera plumoſus.

Semen ovato oblongum, lateribus paullo compreſſius et parumper introrſum infra curvatum. Caeterum fuſcum et laeve. Receptaculum parvum, piloſum, pilis ſimplicibus lateraliter non plumoſis.

De *Carduo acanthoide* Ruppii Hallerus in edit. III. Florae Jenenſis perhibet, exemplar ſiccum, a ſe viſum, ſimile fuiſſe Carduo caule criſpo; quod eo facilius eſt creditu, quum Carduus, quem Erlangae occurrentem deſcripſi, primo intuitu facile confundi poſſit cum Carduo caule criſpo, idem vero curatius inſpectus, vere diverſus credi poteſt, ob corollas non inaequales, et reliqua deſcripta attributa.

Is vero *Carduus caule criſpo* J. B. a variis auctoribus cum Carduo acanthoide Ruppii confundi videtur. Quum autem Jo. Bauhinus requirat caulem membranis ſpinoſis alatum, folia atro viridia hiſpida aculeis mordacibus, et capitula foliis minora, item Tabernaemontani et Lobelii Polyacantham citet, qui etiam bonam iconem dederunt, meliorem Bauhiniana, is Carduus, qui apud nos ad vias et pagos copioſur eſt, et flore purpureo, roſeo, albo, quin et luteolo ludit, aſt Carduus caule criſpo J. B., illique maxime quadrat. Floſculi quinquefidi quidem, ſed una lacinia profundius, quatuor aequaliter inciſis, adeo ut bilabiati videantur. Capitula plerumque pedunculata, interdum vero et promiſcue ſeſſilibus mixta, magis vel minus lanatis ſquamis calycinis, prout magis aprico ſolo naſcun-

naſcuntur. Stylus ex columna ſtaminum in flore maturo longe prominet, ſtigmate leniter bifido terminatus. Calicis foliola erecta aut leviter divergentia, nervo medio albo in ſpinulam modicam terminato, absque puncto glutinifero. Pauca lana inter ea regnat, in foliorum averſa parte adhuc parcior. Folia caulina lineari margine definiuntur, ex quo ſegmenta oppoſito ſitu pinnata trifida profiliunt, ſingula ſpinoſo apice finita, quae etiam eriguntur et plicantur, hinc folia plicata adparent. Utraque pagina fere glabra, ſupina magis. Alae caulis foliis ex parte decurrentibus quidem reſpondent, ſed etiam aliae non ad folia pertinentes interponuntur, hinc plerumque quaternae ſunt, ſtriis caulis reſpondentes, ſingulae bifidae aut trifidae, aculeatae. Semina incurva, ſtriata. Pappus ſimplex.

Hae qualitates me inducunt, ut credam, Linnaeum exemplaria noſtri Cardui deſcribere pro CARDUO ſuo *acanthoide*, et eodem J. Bauhini. Hic vero longe alias notas requirit, et Monſpelii ſolum ſuam plantam invenit, ubi vero etiam rarus eſſe videtur, quum Magnolius in Botanico Monſpelienſi expreſſe notet, ſe eum invenire non potuiſſe. Gerardus quidem et Gouan eum habent, ſed absque omni deſcriptione, ſolo addito nomine Linnaei, quod non quadrat in verum J. B. Carduum acanthoidem, ſed fortaſſis ſolum in noſtrum. Hinc facile credo, hos Auctores ſimilem reperire potuiſſe, quum ubique vulgaris ſit, non vero plantam veram Bauhini.

Vera planta CARDUI *acanthoidis*, J. B. III. p. 56. tandem ab optimo meo Gerardo miſſa, confirmavit ſupra dicta, hunc Carduum vere differre a Linnaeano acanthoide. Deſcriptio hujus, a Linnaeo data, non valde quadrat cum exemplari Gerardiano, cui vero deſcriptio et icon Bauhini bene ſatis reſpondent. Caulis, pro more congenerum, quatuor alis ſpinoſis tegitur. Folia ſeſſilia, maximam caulis partem amplexa, dilatantur in paginam ſuperne atrovirentem, venis tamen dilutioribus diſtinctam, inferne lanatam, ita tamen ut nervi liberiores ſint; longitudo eorum latitudinem bis explet, per totum fere caulem margo ſatis profunde ſinuatur, plicis interdum intermixtis, et ſinus terminantur dentibus magnis, late triangulis, quorum ſinguli tribus vel pluribus minoribus dentibus, pariter ac ipſi ſinus ſibi plerumque oppoſitis, ſecantur; ſingulae laciniae ſpina longa flava terminantur, ſicut et reliquus margo intra dentes ſpinulas exſerere ſolet, apex totius folii etiam in acutam ſpinam terminatur. Averſa diſci pars lana intricata tegitur non adeo denſa, ut nervos penitus abſcondat. Adverſa pars, etſi virens, punctis eminentibus conſpergitur, ex quibus ſingulis pilus tener emergit. Ex alis foliorum ramus ſecundarius progerminat, quod continuat usque ad ſumma caulis, quae folio minori ſuſtentata nudiora conſpiciuntur villo denſo tecta, qui ſub calicibus finitur

quod ad maximam partem, et raris filis ad calices ſaltem continuat. Clauditur caulis tribus vel quatuor floribus, erectis, mediocris menſurae, corni magnitudine, quorum Calix, ſex vel ſeptem circiter ordinum, conflatur ex ſquamis e latiore baſi in longe lanceatam formam, et, in tribus exterioribus ſeriebus, aculeo recto terminatis, nervo prominulo absque puncto vel linea glutinifera, (viridia omnia) mediis praecipue lanugine laxa interſtinctis. Interiores duae ſeries foliolorum calicis aculei ſpeciem ita minuunt, ut fere inermes ſint. Corollae purpureae, non multum ultra calicem prominulae, quinquefidae quidem ſed fere bilabiatae mihi videbantur, tribus laciniis invicem magis convexis, et duabus reliquis itidem proprioribus, (quod tamen ſaepius rimandum erit,) ex tubo anguſto tereti longo albo in ventrem prius modicum expanſae, pappum ſimplicem parum excedunt. Pedunculi florum parvi, lanati, non alati ſunt.

Differt igitur hic a *Carduo acanthoide* Ruppii (qui nomen Bauhini non bene adhibuit) ſpinis foliorum rigidioribus, forte et forma foliorum exacte ſumta, capitulis floriferis magis lanatis, vix ſolitariis, foliolis calicinis latioribus, nec retroverſis, ſed rectis omnibus, magis aculeatis.

Differt a *Carduo pycnocephalo* Triumfetti foliorum forma, praecipue calicum foliolis, quae in pycnocephalo punctum glutiniferum gerunt, quibus acanthoides J. B. penitus caret. Quod capitula decidant, aliis Carduis non infrequens eſt.

Linnaei definitio adeo lata eſt, ut pluribus adplicari fere poſſit. Capitula ſolitaria characterem intrare nequeunt, cum ubique eam naturam non ſervet, ut dictum eſt. Carduus nutans toto habitu, non ſolis calicibus, differt, quod etiam de Carduo criſpo J. B. valet. Corollularum quidem bilabiatarum mentionem facit, ſed alia ratione diviſae. Si vero ſuſtinet, in ſpecie ſua quinta, quam pro Carduo criſpo J. B. proponit, flores ejusmodi inaequaliter partitos non reperiri, id experientiae contrariatur, dum in hoc criſpo corollulas etiam inaequaliter ſectas reperi.

SS - 43148

D. CASIMIRI CHRISTOPHORI SCHMIDEL

SERENISS MARGGR. BRANDENB. ONOLD. ET CVLMB. QVONDAM A CONSILIIS AVLICIS INTIMIS ET ARCHIATRI COLLEGII MEDICI ONOLDINI PRAESIDIS ETC.

DESCRIPTIO ITINERIS PER HELVETIAM GALLIAM ET GERMANIAE PARTEM

ANN CIↃ IↃ CC LXXIII ET CIↃ IↃ CC LXXIIII INSTITVTI

ACCEDVNT TABVLAE II AENEAE

ERLANGAE

SVMTV JO. JACOBI PALMII CIↃ IↃ CC LXXXXIV

PRAEFATIO

EDITORIS

Offerimus hic ſcientiae naturalis amatoribus SCHMIDELII, viri immortalis, relationem de itinere, quod annis 1773 et 1774 per Helvetiae, Galliae et Germaniae partem fecit. Quo ſcopo illud ſuſceperit, ipſe p. 5. prodidit, Sereniſſimam ſcilicet ELISABETHAM FRIDERICAM SOPHIAM, Ducem Wirtembergicam, FRIDERICI, Marggravii Brandenburgici Culmbacenſis, filiam, ante aliquot annos fato functam, in Helvetiam Galliamque comitari, Ejusque valetudinis curam gerere erat juſſus. Qualis vero ſtatus morboſus Sereniſſimam Principem impulerit, ut in Helvetiam, et, quum ibi voto non ex ſententia poteretur, porro in Galliam contenderet, ipſe b. Schmidelius paucis verbis innuit potius quam indicavit p. 88, fuſius vero expoſuit in relatione, Diospoli (Dieppe) d. XXVIII. Octobris CIↃIↃCCLXXIII ſcripta, quam forte non ingratum erit hic inſertam legere. "Quum," inquit vir perill., "brevibus res expedienda ſit,

*

potio-

potiora ſaltem ex praegreſſis recenſenda erunt. Sufficerit memoraſſe, Sereniſſimam Principem ab Auguſtiſſimis Parentibus, cum temperamento ſanguineo cholerico et ſtructurae tenenitate, haereditariam ſuſcepiſſe diſpoſitionem ad motus haemorrhoidales, et mobilitatem nervorum fibrarumque tam in tota fabrica, quam praecipue in capite. Cunctis iſtis non delicatula ſolum educatio, ſed et imperata ſaepius abſtinentia a cibis, corpus firmantibus, augmentum dedit non parvum, ita ut, quum ſub juvenili aetate, qua ſemel partum enixa, et poſt hunc, ut fertur, non valde commode tractata eſt, varii animi moerores accederent, cito ſatis tam varia cephalalgiae genera, quam prava ciborum digeſtio ſecunda Eam male haberent. Contra adverſam hanc valetudinem a variis vario modo, et inter alia anno clɔ Iɔ cclxii Thermis Aquisgranenſibus, ſucceſſu parum proſpero, pugnatum eſt. Quoties vero curatio directa fuit ad viſcera digeſtioni dicata, unde, ſubſumtis prius recenſitis rebus circumſtantibus, propter parciorem a longo tempore fluxum menſtruum, et aliquam hepatis imbecillitatem, mox motus haemorrhoidales, mox cephalalgiae orta credi poterant, toties melius ceſſerunt omnia: cephalalgiae rarius recurrerunt, menſtrua paullo liberius fluxerunt, quin et haemorrhois interna aliquoties cum levamine aperta eſt, vireſque ſatis conſtiterunt. Quando vero tonica valentiora generatim, aut cum iis topica, capiti adplicata fuerunt, tunc prioribus malis adhuc alia ſe adſociaverunt. Sic ante ſexennium circiter Sereniſſima vegetior et obeſior facta credebatur; curatiore tamen exploratione inſtituta pallor faciei, malleolorum intumeſcentia et ligamentorum ibi ſitorum laxitas, dolores obtuſi verſus coſtas ſpurias, inflatio hypochondriorum, et infimi ventris a flatibus turgeſcentia, ſatis declaravere, non carnes tam auctas eſſe, quam humores potius ſeroſos retentos cellulas in-

infaſſe, atque vero ſimillimum videtur, illos glandularum emunctoriarum, ut vocantur, ſeu lymphaticarum infarctus tum introductos fuiſſe, qui adhuc durant. Non levis igitur metus fuit imminentis hydropis et vitiorum hepatis. Mitigata quidem ſunt aliqua horum conſiliis quorundam medicorum paſſim celeberrimorum, ſucceſſive in auxilium vocatorum, pertinaciter tamen inhaeſerunt cephalalgiae, digeſtio debilitata, et parcitas fluxus menſtrui, quem colici dolores ſaepius praecedere aut comitari ſolebant. Quum denique poſtremo loco remedia ſerum potenter ſolventia, et alia fibras relaxantia, forſitan in uſum vocata eſſent, accidit ineunte hoc anno, poſt aliquem abuſum rerum non naturalium, ut Sereniſſima febre catarrhali de biloſa indole aliquid participante tentaretur, quae quum non rite ſolveretur, metum impreſſit, ne in lentam febrem degeneraret, et, ob ſummam virium imbecillitatem, ſudores colliquantes et anorexiam atrophia corpus conſumeret. His interim feliciter ſuperatis, quum reliqua ſymptomata adhuc durarent, Sereniſſima, ſtatum ac vires paterentur, ſinente Majo menſe conſilium cepit Lauſannam adeundi, et celeberrimi D. TISSOTI auxilia requirendi. Ille quidem, de ſingulis ampliſſime inſtructus, quae ſcitu neceſſaria eſſent, et, ut exquireret, praemonitus, quomodo biloſa et viſcida lymphae qualitas corrigi, digeſtio ſecunda inſtrui, menſtruis liberior exitus parari, viſcera et glandulae obſtructa reſerari, et robur totius corporis reſtitui poſſit: cunctis iſtis indicationibus, ineunte Junio menſe, nihil oppoſuit, praeter extracti radicis Saponariae, cum quarta parte Saponis veneti compoſiti, drachmam, et decoctum ejuſdem radicis et Oxylapathi, primum ſolum, et demum cum ſero lactis remixtum, partitis vicibus quovis mane ſumenda, et quum haec parum promoverent, initio Julii menſis extracti Cicutae gr. xxvij. cum eodem decocto et eodem tempore

ſubſtituit, atque demum, menſis Auguſti initio, ut cephalalgiis, interea ſaepius recurrentibus, ſubveniret, catapotia ex Antimonii crudi gr. vj. cum extracto Saponariae gr. viij., primum ſolis, dein Mercurii crudi gr. uj. additis, compoſita veſperi ſumenda dedit, interpoſitis rarioribus evacuationibus per folia Sennae, et aliquoties, finiente menſe, Aloës purae grano ultimis catapotiis adjecto, unde mox lumborum dolores, et poſt abitum, et abſolutum Septembri menſe parciſſimum fluxum menſtruum, tumor haemorrhoidalis ſumme dolens ſedis loca infeſtavit; plurimum tamen, quum in itinere emolliretur et cruorem large ploraret, caput levavit. Glandularum infarctus nunc quidem modicum quantum diminutiores videbantur; quid vero per trimeſtre ſpatium, inter has medicationes transactum, porro provectum ſit, ſequentia monſtrabunt. Cephalalgiae interea et poſtmodum non ſolum fluxum menſtruum praeceſſerunt, ſed et poſt levem aut in diaeta aut regimine tam mentis, quam corporis, commiſſum errorem, ut antea, adoriuntur, quin et aliquoties frequentiores et aſperiores factae ſunt. Menſtrua terminum juſtum quidem, ut ſemper ſolita ſunt, aut ſervantia aut ad aliquot dies anticipantia, adhuc parciſſima ſunt, colicis doloribus interdum ſtipata. Reſtitit levior aliquanto, ſed permanens, inflatio malleolorum. Durant adhuc infarctus glandularum lymphaticarum per totum fere corpus, praecipue circa collum et truncum. Manſit eadem inaequalitas circa adpetentiam ciborum, plerumque parcam omnino, et eadem difficultas ſecundae concoctionis. Reſtat abdominis a flatibus turgeſcentia, et alvi ſegnities, non, niſi enematibus, removenda. Generatim quoque obtinet eadem adhuc fibrarum debilitas, et nervoſi generis irritabilitas, quae non ſolum corporis vires ex minima cauſſa alterat, ſed et animum interdum deprimit. — Quae quum ita ſint, conſultum viſum eſt vires Aquae marinae, quam

in

Google

in roborandis fibris et nervis pariter, ac debellandis difficultatibus menſtruorum et glandularum infarctibus, adeo efficacem repererunt celeberrimi Anglorum et Belgarum medici, etiam experiunda. Ejus igitur uſum tam internum, pro individui corporis conditione modificatum, et ad unc vj cum unc. ſemis Aethiopis vegetabilis exhibitum, quam externum forma balneorum, ad mediam partem aqua dulci tepida dilutum, ita proficuum a xixmo hujus menſis die reperimus, ut cephalalgiae interea nullae emicuerint, glandulae tumidae multis numeris mole decreverint, adpetentia ciborum magis conſtet, alvus quotidie reſpondeat, totumque corpus viribus auctum ex balneis exſurgat, adeo ut ſaluberrimos porro effectus ſperare non ſolum, ſed et exſpectare bono cum Deo liceat." Neque hac ſpe excidit Schmidelius. Morbo enim, quo conflictata fuerat, ſi non omnino liberata, inſigniter tamen levata in Germaniam rediit Sereniſſima Princeps, ſatisque bene poſtea valuit.

Ab hac Principis cura vacuum tempus ad luſtrandum Helvetiae, in quam jam antea ſolus iter fecerat, et Galliae, non ſolum urbes et civitates, atque quae in his memorabilia occurrunt, ſed etiam, et potiſſimum, campos, valles, montes, alpes, torrentes, fluvios, lacus, immo et oras maritimas, quo ferebatur, impendit, lapides, petrefacta, zoophyta, conchylia, coralia, inprimis autem plantas, collegit, comparavit, atque obſervata omnia in adverſaria retulit, unde poſtea, plus otii nactus, quae notabiliora ipſi videbantur, depromſit et hoc libro complexus eſt; eo quidem conſilio, quod et ipſe in prooemio indicavit, ut et, quae vidiſſet, menti imprimeret altius, et aliis prodeſſet, et oſtenderet, ſe non inutiliter otium conſumſiſſe. Recenſuit itaque potiora corpora naturalia, in quaque regione ſibi obvia

via facta, et quidem ſuo more, nominibus trivialibus tam antiquioribus, qualibus etiam b. HALLERVS uti amabat, quam recentioribus Linneanis, additis obſervationibus de notis characteriſticis, locis natalibus, dotibus, aliisque quae ſcire e re lectoris eſſe viderentur. Interdum, ſed rarius, et moderate, a b. LINNEO aliisque viris clariſſimis ſe diſſentire declaravit, et inter hos etiam a celeberrimo Abbate a WVLFEN, qui binas Saxifragas, quas Noſter in *Op. Gem. Faſc. I.*, Hallerum ſequutus, conjunxerat, muſcoiden ſcilicet et moſchatam, ſeparandas eſſe demonſtraverat; in viri reverendi ſententiam procul dubio tranſiturus, ſi magis ad differentiam odoris, quem moſchata perquam fragrantem diuque inhaerentem ſpargit, muſcoides nullum, attendiſſet. Praecipue in colligendis, conferendis et adnotandis plantis marinis multus fuit, et forte plerarumque, immo et aliarum plantarum rariorum, deſcriptiones addidiſſet atque icones, niſi gravis et longus morbus, quo tandem exſtinctus eſt, Ipſum impediviſſet.

Deſcriptionem alius itineris, quod b. Schmidelius cum Sereniſſimo Marggravio Brandenburgico, ALEXANDRO, per Italiam aliamque Galliae partem annis cIↄIↄCCLXXV et cIↄIↄCCLXXVI inſtituit, hac relatione plures fere res memoratu dignas, potioresque, continentem, evulgabimus, quam primum per otium licebit. Vtraeque hae pretioſae reliquiae ut publici juris fierent, generoſe conceſſit generoſiſſima Auctoris heres, cui eo nomine debitas grates decenter perſolvimus.

ITER

Google

Errata.

Pag. 7. not. b. lin. 9. Cornhall, leg. Slimes.

— 15 not. y *Bromus agrestis* Allion. leg. *Bromus sterilis* L.

— 95 not. tuberosum..., leg. tuberosum.

34.9148



- 3 343143

Digitized by Google

